NAZ.
L

XXIL

LVIII
a
25

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVIII
A
25
NAPOLI

JACOBI GEUSII

Theologi & Medici Friſii

VICTIMÆ HUMANÆ.

PARS PRIMA.

complexa

Modos, Ceremonias, & Tempora;

quibus olim

Homines Diis ſuis immolabant,
Et humanum ſanguinem libabant.

GRONINGÆ,

Typis DOMINICI LENS, Typographi & Bibliopolæ.

CIƆ IƆ CLXXV.

Ampliſſimo, Spectatiſſimo, &
Eruditiſſimo Viro

D. ISAACO SCEPPERO
Juris Utriuſque Doctori,
& Illuſtrium Friſiæ Ordi-
num Secretario.

Salutem plurimam
precatur
JACOBUS GEUSIUS.

EX voto & conſilio Typographi, hunc noſtrum de Victimis Humanis librum in duas partes diviſi. Quem tibi, Nobiliſſime & Ampliſſime

 ſime

ſime Vir, ex recepta Veterum conſuetudine inſcribere volui & debui, cum ſecundum Deum tibi veluti Deis Nixiis acceptum ferre debeat, quod in mundum egreſſus prima voce aſtra ſalutet, ut cum Statio loquar. Nemini enim magis quam Tibi Ampliſſime & Dilectiſſime SCHEPPERE hunc chartaceum meum fœtum debeo, quoniam illi perficiendo plurimam operam commodaſti. Nam cum meos,

quos

quos habeo, Authores Claſ-ſicos licet nec paucos, nec gregarios perlegiſſem, atque in ſuccum & ſanguinem redegiſſem, jamque de Studiorum meorum ſucceſſu & perfectione deſperans ultimum vale Muſis acclamare cogitarem, cum reliqui, qui exſtant, & quos Bibliotheca mea non poſſidebat, nec ipſe pervolveram, Scriptores Veteres partim in nullis Bibliopolarum officinis venum proſtarent, partim non

tam cito mihi comparari poſſent, quam ſtudiorum meorum ratio poſtulabat, Tu tanquam Dioſcurus, ut Æliani verbo utar, & Jupiter Servator de cœlo mihi miſſus videris, qui rariſſimæ & inſtructiſſimæ tuæ Bibliothecæ librorum non tantum lectionem ſed & uſum imo abuſum facili genio indulſiſti, & Romanorum Fortunam Reducem & Virilem à me jam exſulem Muſeo meo redhibuſti, Præterea

ad hanc quoque dedicationem me impulerunt, & diffuſa tua per omnes ſcientias eruditio, & in Philologia atque Poëſi tam Belgica quam Latina in Patria hac noſtra Dictatura, & excellentioris mentis dotes, ſicut monimenta tua & victuræ chartæ, quibus mundum ditaſti, pro me ſatis docent. Teſtantur illud Notæ in Ovidium, alioſque probatos Authores. Teſtantur carmina illa doctiſſima in co-

lumbas Doctiſſimi Juriscon-ſulti Henrici Nieuhuſii, atque in victoriam & coronam navalem à Belgis noſtris Britanniæ Regi ereptam, aliaque de alia materia compoſita, in quibus profunda ubique eruditio & ſummum ingenium elucet. Teſtatur Oratio in Reſtitutionem Caroli Secundi Magnæ Britanniæ Regis, quam ut à nemine unquam ita elaboratam omnes qui præſentes in noſtra Academia audiverunt & lege-

legerunt, effuſiſſimis præconiis cumularunt. Teſtantur literæ familiares, & verſiculi, quibus me immeritum ſæpius dignatus fuiſti. Ita & eruditione tua, & amore erga Doctos imcomparabili Illuſtriſſimi illus tui Cornelii Duplicii Schepperi Domini de Eycke veſtigia avita premere voluiſti, qui Chriſtierni Danorum & Suecorum Regis, ſed poſtmodum fatis novercantibus regno exuti & exulis Secre-

tarius & inviduus Achates Appolinem, ita ſibi propitium habuit, ut præter operam Domino ſuo & Principi in utraque fortuna fideliter navatam, & alia ſcripta politi ejus elegi in Iſabellam Imperatoris Caroli Quinti ſororem, & ſupra dicti Regis Chriſtierni uxorem Gandavi in Divi Petri æde hodie etiamnum cum Doctorum admiratione legantur. Hæ fuerunt cauſæ Vir, quod hoc exiguum munuſculum

ma-

manibus tuis obtrudere non erubuerim, enixe rogans, ut qualecunque eſt, facili manu & benevolo animo accipere non graveris. Nam olim, ut noſti, Veteres, quibus taurus inauratis cornibus & ſertis ſupetbiens aut hecatombe deerat, gallum offerebant, & cum thura non ſuppeterent, lacte ſupplicabant, & loco cerearum, quæ Ditiorum erant apophoreta & ſigillaria, clientes Romæ Saturnalibus Patronis ſuis

candelas dono mittebant. Ex priſco autem ritu πολοχρόνιον tibi Ampliſſime Vir, acclamans Deum immortalem ſubmiſſe precor, & voveo, ut in ſalutem Reipublicæ, Reformatæ Eccleſiæ, Academiæ, & Doctorum diu ſoſpes vivas & valeas. Dabam Leowardiæ ex Muſæo Idibus Septemb. MDCLXXI.

DE
Victimis Humanis
GENTILIUM.

CAP. I.

Origo religionis à Deo, qui auctor etiam ſacrificiorum Iſraëlitarum; quam ob cauſam. Quænam illorum Sacrificia; Ægyptiorum Dei; Oſopæi error. Æ. Macer corrigitur & explicatur. Anaxandrides Rhodius tentatur. Inter quos Deos Apis; unde ille nomen & originem traxerit.

NUlla fuit gens, ſive Deo devota, ſive Barbara, & ab omni humanitate remota, quæ non cultu aliquo apud Numen ſive verum, ſive falſum perlitare, ſacrificiiſque ejus favorem emendicare ſategerit. Hoc Deum promerendi ſtudium mox ab ipſis conditi orbis incunabulis ipſe mundi Conditor homini inplantavit. Patet hoc ex exemplis Patrum ante legem nominatim Abelis, Noachi, & Jobi, quorum ſacrificia per fidem oblata Deo Vero grata & ac-

cepta fuiſſe in ſacris monumentis leguntur; & cum fides ex verbi divini auditu exſurgat, opera, quæ per fidem fiunt, & ex fide ſcaturiunt, non abſque Dei mandato, vel ejus injuſſu præſtari percipiuntur. Deus præterea ἐθελοθρησκείας, hoc eſt, cultus religioſos, non ab ipſo præſcriptos, ſed a prurienti hominis cerebro & genio excogitatos, ſemper reprobavit. Hinc Athanaſius in decretis Synodi Nic. ait, *Abelem, quæ ab Adamo perceperat Deo obtuliſſe; Adamum autem magiſterio Dei inſtructum fuiſſe.* Iſraëlitis autem ſub lege ſacrificiorum cultus expreſſo Dei mandato injunctus eſt, ut videre licet, Exod. VIII. 26. & X. 26. Deus quidem apud Eſaiam XLIII. 22, 23, 24. & Jerem. VII. 21, 22, 23. negat, ſe Iſraëlitis quidquam de ſacrificiis præſcripſiſſe, ſed propterea, tam quod illa principaliter non requirebat, quam quatenus non eum in finem, quaſi illis indigeret, ea ſibi offerri mandaverat. Excelſum enim & Cœleſte Numen victimarum *fumo, & exhalatione* (ut loquar cum Clemente Alexandrino Strom. 5.) nec

ca-

capitur, nec indiget, Pſalm. L. 9, 10, 11, 12, 13. Operoſus igitur hic ſacrificiorum cultus & labor magis in Iſraëlitarum *infirmitatem*, quam *Dei indigentiam* refundendus eſt, ſicut Theodoretus ſerm. 7. de Cur. Græc. affect. author eſt. Cum enim videret Deus, Iſraëlitas nefanda Ægyptiorum religione imbutos ab immolando temperare non poſſe, ſacrificia ab ipſis offerri mandavit, ut ſibi potius quam Dæmonibus immolarenr. Ita ſentiunt Hieronymus dial. adverſus Pelag. lib. II. Clemens Recog. lib. I. Origenes homil xvij. in Num. Cyrillus lib. IV. & IX. contra Julianum. Theodoretus in Lev. I. & ad verſum vij, cap. I. Eſaiæ. Tertullianus lib. 2. adverſ. Marc. Dei igitur populus ab horrenda Ægyptiorum idololatria ita abſtractus vero Deo ſacrificare juſſus eſt *fruges*, ſeu *fructus terræ*, Gen. IV. 5. *animalia irrationalia*, tam *aërea*, velut *aves & volucres*, *turtures*, nempe, *& pullos columbarum*, Gen. VIII. 20. & XV. 9, 10. Levit. I. 14. quam *terreſtria*; quæ ſumebantur vel de *armentis*, ut *boves*, *tauri*, *juvenci*, *vaccæ*, *&*

vitulæ; vel de *pecudibus*, ſicut *agni*, *arietes*, *oves*, *capri & capræ*, *hirci*, & *hædi*; de quibus late & fuſe in Sacris Bibliis. *Nefaſta* autem erant *ſacrificia* & inepta *aſinus*, *canis*, *caprea*, *porcus*. Ex iis autem *animalibus*, quæ Ægyptii pro Deis colebant, propterea Deus *manſuetiora ſacrificiis addixit*, tam *ut victimarum manſuetudine & exemplo moniti humiles*, *& omni metu in Deum intenti ſacra peragerent* Iſraëlitæ, ut loquitur Eleazarus ſummus Pontifex apud Ariſtæam in hiſtoria ſeptuaginta Interpretum; quam inprimis, ut *hæc exſecrati tanquam impura in Deorum numero non ponerent*, illa vero ut *quæ ipſi ſacrificarent*, *pro Diis non haberent*, ſed eum ſolum adorarent, cui convenit hæc offerre, ut Theodoretus loqui amat in Lev. quæſt. 1. Apud Ægyptios enim omnis generis animalia, & portenta divino honore afficere non piaculum, ſed maxima religio habebatur. Hujuſmodi erant τράγος *hircus*. Lucian. in Imag. pag. 286. πίθηκος *ciconia*; vide eundem Lucianum eodem loco. Αἴλουρος *felis*; Iterum eodem loco. Plinius lib. VI. Natur. Hiſtor. cap 29. *Crocodilus*. Inſpice Cy-

Cyprianum contra Demetrium pag. 256. SidoniumApollinarem, Juvenalem Satyr. xv. pag. 124.

Crocodilon adorat.

Pars hæc.

Alioſque. *Leo* apud eos ὡς θεὸς θρησκεύεται *ut Deus adorabatur*, Porphyrius lib. iv. de abſtinent. ab anim. pag. 54. Arnobius lib. vi. pag. 116. Tertullianus Apolog. c. 16. M. Felix in Octavio pag. 20. & *Cercopithecus*. Juvenalis Satyr. xv. pag. 124. ita intelligatur.

Effigies ſacri nitet aurea cercopitheci.

Summa reverentia præterea colebant *Cynocephalum*, qui animal ſive potius monſtrum erat *a pectore ſurſum capite canino & pandis manibus* horrens, *deorſum in hominem deſinens, & ſic corpore biforme*; ſicut eum deſcribit Autor Queroli pag. 35. Cultum autem ejus religioſum, & naturam eleganter & ad vivum delineat Orus Apollo Niliacus in Hierogliph. opuſculo raro & egregio: vocaturque a Prudentio contra Symm. ii. *caniformis*; a Sedulio Scoto *canis ſemihomo*; Lucano *ſemicanis*; *ſacrum quoddam animal* a Marco

Victorino in notis ad Ciceronem de inventione lib. I. pag. 309. Κύνα vocat Anaxandrides Rhodius κύνα σέβεις; *Canem* Juvenalis Satyr. XV. pag. 124. *Oppida tota* canem venerantur. *canum vultu deſcribit* Felix in Octavio. *latrator* dicitur Virgilio & Alcimus Avitus *eum latrantem Anubim appellat: Curſus*

Teſtor Nile tuos; & divæ vocis Anubim,
Cum validus latrat.

Sic & Prudentius in Apotheſ.

Latrantem throno cæli præponat Anubim;
dicitur à Cypriano contra Demetrianos pag. 256. & Auguſtino tom. IV. de variis quæſt. 114. atque M. Felice in Octavio pag. 14. *Cynocephalus.* Ejus effigies Romæ erecta adhuc viſitur, *& cacabi* nomine vulgo exprimitur, ſi fides Georgio Fabritio Chemnicenſi in notis ad Poëtas veteres Eccleſiaſt. vide de illo præterea Originem in Exod. cap. VII. Homil. IV. Albricum de Deorum imaginibus pag. 316. Athanaſium contra Gentes pag. 8. & 18. Euſebium lib. II. Præparat. Eccleſ. cap. I. Lucianum de Sacrificiis, pag. 74. Colebatur etiam *Avis* nomine

mine *Ibis.* Juvenalis Satyr. xv. *Illa pavet ſaturam ſerpentibus* ibim. Herodotus Euterpe pag. 129. Cicero de natura Deorum. Vetus Scholiaſtes ad Juvenalem Satyr. 15. Lucianus in Imaginibus pag. 286. quo in loco maxime hallucinatus eſt Vincentius Oſopæus per ἶβιν ſimiam interpretans: hinc etiam intelligi & explicari poſſunt illa verba Æmilii Macri;

Tum ſacræ veniunt cultoribus Ibes.

Ubi alii pro *tum* ponunt *auxilium: ſacræ* autem dicit, quia aves iſtæ ab Ægyptiis pro Deis habebantur. Religioſe etiam obſervabatur *Phœnix*, quem mortuum ſepeliebant, ut auctor Orus Apollo libello jam citato; adde Sidonium Apollinarem in Burgo Ponti Leontii. His Georgius Fabritius in Commentar. ad Poetas Chriſtianos adjicit, licet nullo citato authore, *oves, capras, lupos, cephos, mures, araneos, anguillas, lepidotos, oxyrynchos, ichneumona, aquilas.* de *anguillis* autem ita Anaxandrides Rhodius Ægyptios traducens & illudens: Τὴν ἔγχελυν μέγιστον ἡγῇ δαίμονα, *anguillam ducis Deum maximum*: ubi corrigendum eſt ἔγχελυν, niſi forſitan ponendum

 eſt

eſt γαλῆν. Nam *felis* maximo in honore & pretio apud Ægyptios erat. Strabo lib. xvii. Herodotus. parag. 51 lib. 10. 51. aliique multi docent: imo in tantum ſtuporem & amentiam inciderunt, *ut cepe & allia & his viliora adorarint*: ſunt verba Chryſoſtomi in Geneſ. cap. 1. homil. 7. pag. 39. Juvenalis Satyr. xv. verſ. 9.

Porrum & cæpe *neſas violare & frangere morſu*:

O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis Numina!

Prudentius in Romano Martyre pag. 214. *& fados Dei Sterquilini ſervos mediaſtinos, nempe ventris crepitus*, vel ut M. Felix in Octavio pag. 20. *crepitus per pudenda corporis expreſſos*: Adde Cæſarium dialog. 1. pag. 1445. Hieronymum in Eſaiam lib. xiii. cap. 46. pag. 151. Clementem Recognit. lib. v. pag. 93. Hinc intelliges, quid in ſuperioribus ſibi velit Chryſoſtomus, *& his viliora* cum dicat, nempe nihil aliud, quam iſtos crepitus, quos honeſtiori vocabulo involvere voluit. Sed apud eos Deorum, ſive idolorum Coriphæus erat *Apis*. Vide

Dion.

Dion. lib. LI. Orpheus Argonaut: ἱερὰς πεπόλησας Ἄπιδος, *Apide terras inſignes* dicit. a Libanio in Progymnaſmat. Βοῦς *bos* vocatur; Βοῦς Αἰγυπτίοις ἐςὶ θεὸς. Philoſtratus Vita Apollonii lib. I. cap. 7. Βοῦς Αἰγυπτίοις ſcribit. *Iuvenca* a Martiale epigramm. lib. x. dicitur; a Tibullo lib. I. eleg. 8. *bos*. a Martiale lib. VIII. *Niliaca Iuvenca*. Amœnus Enchrid. *vitulum* appellat. *Forma ſed his vituli ſolus Deus, & Deus aurum: boum caput* a Felice in Octavio, dicitur. Anaxandrides Rhodius βοῦν προσκυνεῖς *bovem adoras* (Ægyptie) dicit. Idem hoc idolum notiori vocabulo effertur & dicitur a Luciano in ſacrificiis *Apis*, ut etiam ab Apollodoro lib. II. ab incerto Poëta in Florileg. & Ivone Carnotenſi fol. 2. a. & creditur *vitulus ille aureus* fuiſſe, *quem Iſraëlitæ* erectum in deſerto choreis & divino honore affecerunt. De quo & Porphyrius lib. IV. pag. 54. Anaxandrides apud Athenæum lib. VII. pag. 299. Theophilus ad Autolyc. lib. I. pag. 308. Nazianzenus Orat. 2. in Julianum & Orat. XXIV. in Ægyptiorum adventum. Ælianus lib. x. de Hiſtor. Ani-

mal. cap. 20: Philo de vita contemplativa. Prudentius lib. II. contra Symmachum. Hieronymus in Joel cap. 3. Baſilius Seleuciæ Epiſcopus in Noemum Orat. VI. Euſebius præparat. lib. II. cap. I. Athanaſius contra gentes pag. 20. Theodoretus ad Pſalm 106. Baſilius conc. de jejuniis. Hieronymus ad Oſeam cap. 4. Origines Homil. VII. in Exod. Tertullianus adverſus Judæos & in Scorpiaca adverſus Gnoſticos. Ambroſius lib. I. de pœnitent. cap. 6. & Pſalm 36. in Apologia pro Davide cap. 4. Optatus lib. III. Clemens Romanus Recognit. lib. I. Lactantius inſtitut. lib. IV. Rabbi Salomon. Sulpitius Severus lib. I. Minutius Felix in Octav. pag. 20. Addantur Plutarchus. Diodorus lib. I. pag. 18. Strabo lib. XVII. Herodotus in Euterpe. Mela lib. I. cap. 9. Plinius lib. VIII. cap. 46. Macrobius Saturnal. lib. I. cap. 21. Clariſſ. Seldenus de Diis Syris cap. IV. Syntagm. I. Spartianus in Adriano pag. 8. Solinus cap. 35. Ovidius Metamorph. lib. IX. Germanicus Cæſar in Arati Phænom, aliique quam plurimi. Hæc Ægyptiorum

rum numina ſive dæmonia apud eos tanti fiebant, ut aliquod ex his animalibus occidere capitale eſſet. Videatur Herodotus lib. II. pag. 113. *Quiſquis tamen ibin aut accipitrem necaverit, ſive volens ſive nolens neceſſario morte afficitur.* Mela de ſitu orbis lib. I. cap. 9. in hoc cum Herodoto ad verbum conſpirat. Addatur Juvenalis Satyr. XV. Nefas *illic* fætum jugulare capellæ. Huic idololatriæ originem & anſam ſubminiſtraſſe videtur *Apis* Argivorum Rex, temporibus Patriarchæ Joſephi, & Baleo Aſſyriam curante, in Ægyptum tranſvectus, qui poſt mortem *Serapis* nominatus omnium maximus Ægyptiorum Deus evaſit, & exinde multa apud homines ſortitus eſt nomina, inter quæ *Serapis*, *Oſiris*, *Dionyſii*, *Iovis Ammonis*, *Panis*, *Plutonis*, *Æſculapii* facile claſſem ducunt, ut videre licet in Diodoro Siculo Bibliothecæ lib. I. Tacito lib. XX. Annal. adde Auguſtinum de civitate Dei lib. XVIII. cap. 5. pag. 1003. Martianum Capellam. Euſebium de præparat. Eccleſ. lib. II. cap. I. Plutarchum in Iſide & Oſiride. Firmicum de origine pro-

ſanarum relig. pag. 5. Suidam, Varronem, Ludovicum Vivem in notis ad Auguſtinum de Civit. pag. 1004. Ruffinum libr. xi. cujus ſimulachrum Theophilus Alexandriæ Epiſcopus ſub Theodoſii imperio ſuſtulit, teſte Suida.

CAP. II.

Origo idololatriæ; tempus quo inceperit: a quo homine, & cujus rei occaſione, a quo populo; quomodo per totum mundum ſit propagata; Voetius notatus. Æthnicorum varia ſacrificia.

QUoniam ſupra Ægyptiorum Deorum mentionem fecimus, congruere videtur, ſi hic verbo *idololatriæ cauſam & originem* libemus, & pauló altius repetamus. *Hujus* autem *auctor primarius* eſt *Diabolus*, Chryſoſt. homil. 31. in Act. qui ad hunc ſuum fœtum procudendum uſus eſt; *Doctoribus falſis*, Deutron. xiii. 2. Apocal. ii. 20. Sed imprimis *Dei ignorantia*; Numer. xxv. 20. Deutron. xiii. 6, 7. 2 Chron. xxiv. 17, 18. *naturæ humanæ corruptione*. Gal. v. 20. *hominumque authoritate*, unde Pythagoræ carmen.

Ada-

Ἀθανάτους μὲν πρῶτα θεοὺς, &c.

Principio venerare Deos.

Sic *primas idololatriæ ſcintillas in poſteris Cain* erupiſſe ex Geneſeos cap. IV. probat Daneus pag. 259. 265. 282. & 303. Sed *Diabolici hujus partus incunabula* Gregorius Turonenſis Hiſtor. lib. I. cap. I. *ad Chus filium Cham* trahit, qui Nimrodi pater primus ſtatunculam adorandam inſtituiſſet; licet alii *Belum*, ſtatua ei conſecrata, *primum adorari cæpiſſe*, & ita idololatriam in mundum irrupiſſe *teſtentur.* Cedrenus autem *generationi quintæ nempe Phaleg* adſcribit, & Eutychius Ebero *ætatem Kahtan* Arabum Patris, quem Moſes Joctan vocat, *hujus mali primordiis fuiſſe inſignitam*, atque notatam, nullis adductis rationidus, cenſet: me quod attinet, veriſimilius & veritatem propius opinioni noſtræ videtur, quod odſtetricante & operante Diabolo omnium malorum auctore *hæc idololatriæ Erinnys temporibus Saruch a Noe in generatione ſeptimi*, juxta Euſtatium, *ex inferno in mundum prorupit*; Saruch enim viros, qui in vita cæteris præſtiterant, poſt mortem adorari, quotannis eorum

memoriam celebrari, & nomina in ſacros commentarios referri, eoſque tanquam benefactores pro Deis coli voluit & juſſit, ut loquuntur Suidas & Damaſcenus, & ex hac matrice natam idololatriam ſentiunt Suidas in Σερουχ. Damaſcenus de Hereſibus pag. 574. Hieronymus in Hoſeam cap. 2. Nazianzenus orat. 2. de Theologia. M. Felix in Octavio pag. 13. Auguſtinus de civitate Dei lib. XIV. cap. 11. Cyrillus contra Julianum lib. VI. pag. 112. Auguſtinus contra Fauſtum Manichæum lib. XXII. cap. 17. Philaſtrius de hæreſibus pag. 12. Epiphanius Ancorato in epiſt. ad Acacium & Paulum, Marius Victor lib. III. in Geneſin pag. 362. Lactantius lib. 1. cap. 8. & 15. lib. II. cap. 13. de falſa religione, Chryſoſtomus in Matthæi cap. XXVII. pag. 580. Homil. 87. Athanaſius contra gentes pag. 15. Conſtantinus Manaſſes in Annal. Iſidorus Hiſpalenſis Originum lib. VIII. cap. 11. Vixit autem hic *Sarug* anno poſt diluvium centeſimo ſexageſimo tertio, ætatis Noachi ſeptingenteſimo, ſexageſimo primo juxta opinio-

nem

nem Clariſſimi Viri Chriſtiani Schotani in Bibliotheca ſuâ ſacrâ pag. 156. Hinc populi a vero Deo tranſfugæ, cum univerſali gentium diſperſione per univerſum terrarum orbem eſſent effuſi, primos ſuos conditores & Principes poſt eorum mortem aut Deos fecerunt, aut ex illis in poſterum Reges ſuos & Magiſtratus nominari voluerunt, in gratitudinis ſignum, quod Rempublicam ſuam compoſuiſſent, & ordinaſſent. Unde *omnes Nabathæorum Reges ex Rege ſuo Oboda* (quem pro Deo coluerunt) *Nabathei Obodos* nuncuparunt, ut teſtatur autor clavis Apocalypticæ pag. 100. ad quem in Apocalipſi alluſum eſſe in voce Ἀβαδδῶν exiſtimat. Conſule de eodem Stephanum Byzantium. Inde *Juba Mauris Deus eſt*, ſunt verba M. Felicis in Octavio pag. 15. adde Tertullianum in Apologia contra Gentes cap. 24. Lactantium lib. 1. cap. 15. Inde etiam *Alexandriæ Reges Lagi* appellati. Scholiaſtes Juvenalis pag. 62. *Perſarum & Parthorum* omnes *Reges* a primo gentis ſuæ & Reipublicæ præcipue conditore Arſace per multa ſecula *Arſacidæ*

ſunt

ſunt vocati: Paulus Æmilius lib. v. Johannes Tzetza. Chil. III. cap. 95. Herodianus lib. IV. Dion lib. IX. & LXVI. Sidonius Apollinaris ad Valerianum, & lib. VIII. epiſt. 9. Juſtinus lib. XLI. Hiſtor. *Sylvii Albanorum*, *Cecropidæ Atheniensium*, *Ptolomæi Ægyptiorum*: de omnibus his prioribus inſpice Servium ad illum verſum; *Murrhanum hic atavos.* &c. Iſidori Etymolog. lib. IX. cap. 3. Strabon. lib. XV. Ammianum lib. XXIV. *Antiochi Syrorum* Hieronymus tom V. pag. 482. *Cani Hunnorum*; Aimoinus lib IV. cap. 93. Gregorius Turonenſis lib. IV. cap 29. *Hacanos* vocat eos P Æmilius lib II. Hiſtor. & Warnefridus lib. IV. cap 38 & 53 & lib III. cap 16 dicit; *Reges Avarum Cacanos* vocari *Indorum Reges Taxiles* vocarunt. Curtius lib. VIII. *Burgundionum Hendinos* Ammianus Marcellinus lib. XXVIII. *Perſarum Xerxes.* Boxhornius in epiſt. *Agarenorum Amarmunes.* Zonara tom. III. pag. 122. *Miramumoim* vocat Autor. fortal. fidei lib IV. pag 171 *Ægyptiorum Pharaones* Achmet cap. 14. *Sidoniorum Hiram.* Aben

Eſra;

Eſra; & notæ ad Euſtathium. *Lacedæmoniorum Heraclidas.* Gregorius Nazianzenus; Monod in Baſilium Magnum, Et Pauſanias lib. IV. *Longobardorum Flavium*; Warnefridus lib. III. cap. 16. *Romanorum Cæſares & Auguſtos.* Spartianus in Ælio Vero pag. 20. imo & *Reges* appellati ſunt. Herodianus lib. II. Prudentius adverſus Judæos. Epiphanius contra hæreſes lib. II. tom. II. cap. 68. Irenæus lib. V. Hieronymus vita Eugeniæ. Æneas Sylvius epiſt. 1. & 30. Zoſimus lib. II. &c. Et quia in hac materia ſtylus noſter verſatur, ejus filum pertexere, & hic adjicere operæ pretium erit, nempe quod *Cretenſium Magiſtratus* fuerit vocatus *Coſmi.* Polibius Excerpt. Legation. 45. *Buziorum in Vaſconia Capitales.* P. Æmilius lib. IX. *Rhodiorum Prytanis.* Livius lib. XLII. pag. 949. Polybius Legat. 67. *Achæorum Demiurgi.* Polyb. Legat. 47. *Seleucenſium Diganes* Polyb lib. V. Hiſtor. *Pænorum Sufes.* Seneca de tranquill. animæ cap. 3. Livius lib. XXVIII. & XXX. Polybius Hiſtor. lib. VI. *Populorum in Africa nomine Kajor, Burdomel. Maurorum Serifs.* Dapperus in de-

ſcript.

ſcript Africæ: ita etiam *Francorum Reges Crinitos* vocat Otto Friſingenſis lib. VI. cap 31. Sed hæc obiter Ab his omnibus fide dignis auctoribus, quam ob cauſam neſcio, deflectere videtur Celeberrimus. Vir Giſbertus Voetius in ſelect Diſputat. pag. 595 diſputat I. de vocatione Gentium, *erroris hujus originem ad Thare* (qui in generatione nona Anno Mundi conditi M. DCCC. poſt diluvium CCX natus, obiit anno Mundi MMLXXIII.) refundens; & exinde *primos idololatras Syros* fuiſſe aſſerens, licet accuratius eadem in pagina in genere *hujus mali ſcaturiginem ex familiis Noachi, ex Iapheto*, & inprimis ex Chamo profluxiſſe autumet, *unde Ægyptii, Cuſchitæ & Cananæi ſuos profanos Numinis cultus hauſiſſent.* Nam Epiphanius author eſt, quod *primi idolorum cultores Ægyptii, Babylonii, Phryges, & Phœnices* fuerunt; *ſed* Eutychius *primos* infernalis hujus *religionis conditores* & colonos *Ægyptios, Babylonios, & Francos* agnoſcit; non quod hi populi ſimul & quaſi eodem tempore idololatriæ fundamenta jecerint, ſed quoniam hi peſtem hanc per reliquas ha-

bi-

bitati orbis nationes *ſparſerunt*. Nam *ab Ægyptiis cuncti populi ſuum Deorum cultum tanquam ex fonte ad ſe derivaſſe videntur*. Kircherus in Copto Prodromo; & Voſſius lib. 1. cap. 27. & 29. de origine Idololatriæ. Quod idem expreſſis verbis aſſerit & probat Lucianus in tractatu de Dea Syria pag. 749. dicens, *religionem hanc ab Ægyptiis ad Syros ſive Phœnices eſſe tranſmiſſam.* Hi enim primi *malo iſto afflarunt Cananæos & Syros*; ſicut exiſtimat Kircherus Copto Prodromo cap. IV. pag. 121. Hi autem *Chaldæi & Syri* venenatum & medicatum ſuperſtitionis ſuæ poculum *Judæis & Carthaginienſibus* epotanda propinarunt, veluti Voſſius lib. 1. cap 32. de orig. Idololatriæ arbitratur. Et ita etiam hoc abominabile religionis monſtrum ad Perſas perrepſit, eorumque animos procurante mago Zoroaſtre pertinaciter inſedit; nam illum *Zoroaſtrem idololatriæ apud Perſas fundatorem* agnoſcit Celeberrimus Voetius in diſputatione citata de vocatione Gentium pag. 591. *Hic* etiam *Sabios veneno ſuo imbuiſſe* dicitur ab Eutychio. Hujus autem ætatem in annum

ab

ab orbe fundato circum circa bis milleſi-mum ſexcenteſimum, quinquageſimum incidiſſe dicit Xanthus Lydius. De hoc celebri mago videantur Martinus Delrio lib. I. Diſquiſit. Magicar. cap. 3. Pineda lib. I V. de rebus Salomonis cap. 21. Julius Cæſar Bulengerius in eclog. ad Arnobium p. 292. Ottho Heurnius de Philoſoph. Barbarica lib. II. cap. 2. & 3. Dinon in libris Hiſtoriarum Hermippus Diogenes Laërtius. Xanthus Lydius. Plinius lib. XXX. cap. I. Erem Armenius, Agathias lib. II. Pococcus ex Mahomede Alſirauzebadio Gregorius Abulfarajus. Juſtinus. Diodorus Siculus Cteſia Plutarchus Hermodorus. Arnobius lib. I. cap. 5 Attamen Elmacinus a Voetio diſſentiens *primum idololatriæ apud Perſas conditorem* agnoſcit virum nomine *Navazib*, ſicut alii *Perſarum Regem Tachurit*; alii *Iunan filium Markolis Græci*. Hottingerus lib. I. cap. 8. Oriental: *Perſarum religionem Armenii, Cappadoces, & omnes* fere *Orientales adoptaverunt.* Julius Cæſar Bulengerius in Eclogis ad Arnobium cap. IV. V. & VI. & ſic temporis

poris tractu fœda hac macula totus terrarum orbis imbutus eſt, & de omnibus gentibus, brevi temporis ſpatio Diabolus triumphos agitavit. Gentiliſmo igitur ſic, ut dixi, ubique fere terrarum exſultante, & primas tenente, in principio pagani nihil præter *herbam virentem*, veluti terrenæ progerminantis potentiæ primitias quaſdam manibus *conſecrabant*, quarum cum *foliis & radicibus* adoletarum fumo & exhalatione Diis ſuis gratificari & litare ſtudebant, quam litationem Porphyrium *Thyſiam* vocare memini; & *Cecrops* primus Athenienſis Reipublicæ conditor & Rex, juxta Paterculum, anno poſt mundum creatum, ſupra infra, milleſimo, quadringenteſimo, decimo, *nihil animatum*, *ſed liba* duntaxat *Iovi offerenda* ſanxit. Pauſanias lib. VIII. pag. 534. *Eadem conſuetudo & apud Romanos* primis centum & quinquaginta annis a compoſita Republica, & fundata urbe obtinuit; *horum enim ſacrificia* ἀναίμακτα, ſive ut Thucidides *loquitur* ἁγνὰ *incruenta*, *ſine ſanguine* erant, cum *farina & placentis* aliiſque rebus vilioribus pe-

peragerentur. *Thuris prothymatibus* prolibari cæptum eſt, poſtquam juvenis Libanus cultus Divini perſtudioſus in thuris fruticem eſſet permutatus, ſicut Græca prodit fabuloſitas. In principio etiam Cabro Deo ſalſamentis rem divinam feciſſe oſtendit Demetrius Phalereus in commentat. περὶ ἱερϑυσίας. Hic vero cultus, quo Cœlites victimarum cruore placari putaverunt, poſtea ſeneſcente jam paulatim mundi integritate irrepſiſſe videtur. Conſtabant autem hæc *ſacrificia cruenta* ϑεώτυπα vel ut Hieronymus vocat *idolo hyta* (quæ *plena & perfecta* dicebantur) ex *tauro, hirco, ariete*; ſed apud *Athenienſes ſue, ariete, & hirco*, ſicut apud *Romanos ſacra Solitaurilia ex ſue, ove, & tauro. Sacrificiorum* autem horum alia *epitheta*, alia *dorophorica*, alia *apopleſtica*, alia *athyta* nuncupabantur. Apud *Romanos* autem, quæ falſis & perſonatis ſuis Deis offerebantur, *ſacrificiorum, hoſtiarum, & victimarum* nomine exprimebantur. *Sacrificium*, ut inquit Iſidorus, erat *victima, & quæcunque in ara cremabantur: Victima* vero, ut idem ait, *ſacrificia poſt victoriam ab*

ho-

hoſtibus partam immolata: hoſtia autem *ſacrificium* erat, *ut* Feſtus ſcribit, *quod Laribus immolabant, quod ab illis hoſtes arceri putabant.* Sed accuratiori linea hæc deſcribit Rubanus lib v. de ſermonum proprietate & myſtica rerum ſignificatione cap. 10. Sacrificium *quaſi ſacrum factum.* Hoſtia *vero ſacrificia quæ fiebant, antequam ad hoſtes pergerent.* Victimæ *ſacrificia, quæ poſt victoriam devictis hoſtibus immolabant, & erant victimæ majora ſacrificia quam hoſtiæ. Alij victimam dictam putaverunt, quia ictu percuſſa cadebat, vel quia vincta ad aras ducebatur.* Holocauſtum; *ubi totum igni conſumitur, quod offertur. Antiqui enim cum magna ſacrificia adminiſtrarent ſolebant totas hoſtias conſumere flamma, & ipſum erat holocauſtomata, ſive holocauſta.* Harum autem victimarum apud Romanos multæ celebrabantur differentiæ; erant enim *hoſtiæ præcidaneæ, ſuccidaneæ, eximiæ, ambiguæ, harvigæ*, vel velut ſummus Heros Joſêphus Scaliger legit, *aringæ, caviares, prodigiæ, bidentes, amburbales, ambarvales, injuges:* adi de his Macrobium Satur: lib. III cap 5. Fulgentium, Varronem,

Va-

Varanium in Pontificalibus Quæſt. Roſinum lib. III. cap. 33. Antiquitat: Romanar: Cœlium Rhodiginum Lect. Antiquar: lib. XII.

Cap. III.

Victimæ humanæ; earum origo; tempus quo inceperint; cauſa earum primaria Diabolus; ſecundariæ oracula, ſortes, vates, aruſpices, &c: per accidens mandatum Abrahamo datum de filio immolando; ejuſque ſacrificium.

HÆc autem prolegomena de *Idololatriæ origine, ſacrificiorum inſtituto, eorumque variis differentiis* præmiſſa ſufficiant. Jam bono cum Deo, dextriſque avibus aggrediemur *ipſas victimas humanas*, ſive *horribiles ritus circa hominum immolationes a paganis antiquis & hodiernis obſervatos* Qua de materia licet calamis, typis, & publica luce, hominumque curioſitate digniſſima nullus ante me, quantum ſcio, & quantum inquiſivi, unquam aliquid in lucem edidit, taceo delibavit; cum fortaſſe materiæ, continua lectione, immenſiſque laboribus, eruendæ ſterilitas ipſos ab hoc deterruerit. Sed ut ἀπυξίας

ſco-

ſcopulis declinatis, ordine aliquo σὺν θεῷ propoſitum noſtrum exſequamur, videbimus 1. *Abominabilium horum Sacrificiorum Originem.* 2. *Populos & homines, qui illa immolarunt.* 3. *Numina, quibus ſacrificata ſunt.* 4. *Perſonarum qualitates, quæ mactabantur.* 5. *Varias harum victimarum cauſas finales.* 6. *Varios immolandi modos.* 7. *Varios ſacrificandi ritus.* 8. *Loca & tempora, quibus hæc agebantur.* Libido igitur humana nec *incruentis* hiſce *herbarum*, *liborum*, & *thuris libationibus*, nec *cruentis beſtiarum ſacrificiis* contenta eo furoris proceſſit, ut *humano cruore* & horrenda hominum immolatione manus ſuas inceſtare, animas impiare, Divinam iram expiare, & Numinis favorem ita eblandiri non abhorruerit. Diri autem hujus *ſacrificii origo* eodem fere, quo idololatria, tempore, *Saruchi* ſcilicet *ætate*, & *generatione quinta* inſignita fuiſſe videtur: ejus rei teſtem Eutychium Alexandrinum ex verſione Pocoki ita habemus. *Eodem tempore* (nempe Sarugi) *cum mortuus eſſet vir quidam dives, filius ipſius ſtatuam ſibi ad patris ſui ſimilitudinem confectam tumulo ipſius impoſuit, collocato etiam ibi ſervo, qui illam cuſto-*

diret. Cum advenientes deinde fures, quicquid filio domi ſuæ fuit; ſurripuiſſent, profectus ille ad patris ſui tumulum flere & conqueri apud ſtatuam iſtam auream, quaſi apud patrem ſuum cœpit. Allocutus ergo Diabolus *e ventre ſtatuæ; ne fleas*, inquit; *abi tantum, & allato* filio *tuo natu minimo*, ipſum mihi in ſacrificium mactans, *ſanguine ejus calenti te abluas, ita fiet, ut ego omnia tibi, quæ perdideris reſtituam. Cum ergo* ille filium ſuum *allatum coram idolo* mactaſſet, *ejuſque ſanguine ſe abluiſſet, egreſſus ex idolo Diabolus, hominemque illum ingreſſus ipſum præſtigias & incantamenta edocuit: atque* hinc cœperunt homines filios ſuos diabolis mactare *& præſtigiis uti didicerunt.* Hactenus Eutychius. Tam cana & vetuſta eſt hujus idololatriæ abominabilis origo; unde recte Lactantius lib. 1. de falſa religione cap. 21. pag. 56. *Apparet tamen, antiquum eſſe hunc hominum immolandorum ritum.* Apparet etiam ex Eutychio, ex infernali *Diaboli* tanquam *cauſæ primæ*, & primipili officina hunc exſecrabilem ritum prodiiſſe, qui tot gentes, tot homines, tot animas infernalibus tormentis involvit. Hic enim capitalis humani generis ho-

hoſtis culpa ſua cœlo & Dei conſortio detruſus, homini felicem ſuam conditionem invidit, quapropter, cum a principio homicida & inſatiabilis animarum helluo fuerit, eum ſecum in pernitiem trahere ſtuduit, ad hoc commentus *oracula*, quibus fragili humano generi inſidiaretur, & *humanarum victimarum immolationem perſuaderet*, cum aperto marte hominem aggredi & oppugnare non ſuſtineret. Igitur vel horrendo lucorum & arborum ſilentio, vel ſqualentibus terræ & montium cavernis abditus ſe conſulentibus reſponſum dedit, ut, ſi hoc aut illud impetrare, cœlique indignantis iram declinare vellent, humanum ſanguinem per immolationem profunderent & conſecrarent. Hinc *eo authore*, ut Hyginus fabula CCXXXVIII. teſtatur, (Pater occidit) *Calliſthenem Eubœa* filiam ex ſortibus *pro Patriæ ſalute*. Hinc, ut idem Hyginus fabula CCXXXIX. ſcribit, *Tyros Salmonei filia duos ex Siſypho Aeoli filio* (filios occidit) *ex reſponſo Apollinis*. Hinc juxta eundem fabula CCXXXXII. *Theſeus Ægei filius* Antiopam *Amazonam*

Martis filiam, (ſuam uxorem) *ex reſponſo Apollinis* (occidit;) *& Adraſtus & Hipponous ejus filius ipſi ſe in ignem jecerunt ex reſponſo Apollinis.* Hinc *Ionas in mare per ſortes conjectus eſt*, ut præter Sacram Scripturam Sulpitius Severus, lib. 1. cap. 72. Auguſtinus epiſt. XLIX. quæſt. 6. Gregorius Magnus lib. VI. Moral. cap. 12. docent. Hinc *ex oraculo* apud Thebanos *de muro ſe præcipitans periit Menyceus*; Hyginus fabula LXVII. *manus ſibi ipſi intulit Menecæus*, juxta Philoſtratum lib. 1. Icon. Et *Maratho Areas ſe ipſum trajiciens ferro occidit.* Ut auctor Plutarchus in vita Theſei. pag. 15. Inde etiam *ex oraculo Midæ filius ob Iovis iram in foveam deſiliit.* Stobæus pag. 9. ſerm. 1. de Prudentia ex Calliſthene in II. Transformat. *Et Patriæ, morti, & inferno, hoſtibuſque ſuis* Diaboli inſtinctu *ſe devoverunt*, & mancipaрunt *Decii.* Auguſtinus de civitate Dei, pag. 316. lib. v. cap. 18. Inde etiam *dæmonio per oraculum auctore*, in *foveam* Romæ medio in foro ſubito apertam, & toti urbi ſcintillantibus & peſtilentibus flammis exitium intentantem & minitantem ſimul cum

equo

equo ſuo armatus *ſe præcipitem dedit* eques ille *Curtius.* Auguſtinus de civit. Dei. pag. 316. lib. v. cap. 18. Oroſius lib. III. cap. 5. Zonara tom. II. Annal. pag. 62. Cicero lib. II. de Divination. Polybius lib. I. Livius lib. VII. pag. 258. Hieronymus in epiſt. Pauli ad Epheſios lib. II. cap. I. Julius Obſequens de prodigiis cap. 20. M. Felix in Octavio pag. 4. aliique auctores. Hinc *Corinthii liberorum ſuorum cæde & mactatione manus ſuas inficere non dubitarunt.* Pauſanias lib. II. Hiſtoriarum. *Et immolare non reformidavit Haliarti civis filium*, Pauſanias lib. IX. pag. 691. & *pater Leus Athenienſis tres filias*; Libanius declam. XLIII. ſicut etiam eadem de cauſa obtruncare non erubuit *Cido Cretenſis filiam.* Aſclepiades Myrleanus Bithinic. lib. I. quo piaculo ſe etiam contaminavit *Erechtheus* apud Apollodorum lib. III. Hinc *ut victimas occidit Licinius homines.* Euſebius vita Conſtant. lib. I. cap. 47. *Pelaſgi in Italia Iuvenes*; Dionyſ. Halicarnaſſeus lib. I. cap. 16. Antiquitatum. *Et* immolaverunt *Maſſilienſes virgines tres aut plures.* Arbiter Sat. pag. 4. *Magnentius*

puellam. Zonara tom. 3. Pomponius Lætus. Hinc ut Pauſanias teſtatur lib. I V. pag. 278. *Diis conſecrata & occiſa eſt virgo vire intacta apud Meſſenios* : & *apud Græcos ad Ilium*, Servius ad Æneid. lib. I. atque *in foro boario Romæ ut victimæ piaculares vivi terra obruti ſunt duo Galli, & duo Græci apud Romanos*. Livius lib. XXII. pag. 394. Plutarchus in Marcello p. 299. & in quæſt. Roman. pag. 284. Felix in Octav. p. 91. Hinc *ex oraculo* Dæmonibus jugulavit Tyrannus *Maxentius infantes* Cuſpinian. de Conſtant. Magno. *alii deformem*. Tzetza Chil. V. cap. 23. Hinc humanæ carnis devorator *Saturnus*, inſtar holocauſti immolare & offerre non dubitavit nec erubuit *filium ſuum unigenitum Cælo*. Philo Biblius. *Buſyris hoſpites Iovi*: Apollodorus lib. I. Hyginus fab. LVI. *Potniarum incolæ adoleſcentem*, ſive *pubeſcentem puerum Deo Baccho*, ut Pauſanias lib. IX. Hiſtoriar. teſtatur. *Atque Trojani puellam Neptuno*. Hyginus fab. LXXXIX. *Erichthens filiam*. Idem fabula XLVI. Hinc etiam immolavit *Demophoon Athenarum Rex puellam Cereri*, Eurip. Heracl. *Mithri-*

da-

dates virginem Furiis. Julius Obſequens. Noſtri quoque *Friſii infantem Stavoni*; Winſemius lib. 1. Chron. Friſ. Et *Vermlandorum incolæ regem ſuum Olaum Deo Othino.* Hiſtor. Norveg. *& eidem Rex Sueciæ Aune novem filios*; Hiſtor. Norvegiæ, quam conſulere potes. Hinc conſecravit *Hadingus Deo Fro furvas hoſtias.* Saxo Gramm. lib. 1. &, ut ventum ſecundum ſortirentur Græci, necata eſt *Polyxena Achilli.* Cointhus Smyrnæus lib. XIV. Hyginus fab. CCLXI. aliique multi auctores ſuo loco indicandi. *Ex oraculo* necarunt *Temeſſenſes virginem manibus unius ex Ulyſſis ſociis.* Pauſanias lib. VI. pag. 417. Hiſtor. *Devorandam* expoſuit *Caſſiopæia Andromedem ceto.* Germanicus in Arati Phænom. Hyginus fab. LXIV. & eundem in finem conſumendos obtulere *Athenienſes Minotauro ſeptenos pueros.* Iſocrates Laudat. Helenæ pag. 411. Juvenalis p. 3. Satyr. 1. addatur Servius ad lib. VI. Æneid. Libanius Orat. XIX. Propertius lib. II. eleg. II. p. 581. *Totidemque puellas.* Pauſanias lib. 1. pag. 61. Plutarchus in Theſeo pag. 6. Tzetza Hiſtor. Chil. XII.

 cap.

cap. 379. Apollodorus lib. III. Ita etiam has nefandas hominum victimas, humanique ſanguinis libationes licet ab Hercule in Italia abrogatas, Diabolus tamen rurſus apud *Romanos* in integrum reſtituere, regnante Numa Rege, allaboravit, ſed ab eodem ſophiſtica *oraculi* interpretatione deluſus & propoſito ſuo fruſtratus eſt. Ovidius lib. III. Faſtor.

Annuit oranti, ſed verum ambage remota
Abdidit, & dubio terruit ore virum.
Cade caput, dixit; cui Rex, parebimus, inquit,
Cædenda eſt hortis eruta cœpa meis.
Addidit hic, homines; ſumes, ait ille, capillos;
Poſtulat hic animam; cui Numa piſcis ait.

Cum rurſus Diabolus alio tempore Romanis perſuadere vellet, ut *Deæ Maniæ* pro familiarum ſoſpitate *pueri* ut hoſtiæ *cæderentur*, Junius Brutus mentem Apollinis hoc horrendum *oraculum* reddentis denuo eluſit, interpretatione capitum ab humanis ad allia & papavera converſa & inflexa, ſicut videre potes, ſi velis, apud Macrobium Saturnal. lib. I. cap. 7. Ita

etiam

etiam Diabolus Achillem ſimulans voce ex ejus ſepulchro edita effecit, ut Polyxena Trojana Priami filia ei jugularetur juxta Hyginum fabula cx. *Danai victores cum ab Ilio claſſem conſcenderent, & vellent in Patriam ſuam quiſque reverti, & prædam quiſque ſibi duceret, ex ſepulchro vox Achillis dicitur prædæ partem expoſtulaſſe. Itaque Danai* Polyxenam *Priami filiam (quia virgo fuit formoſiſſima, propter quam Achilles cum eam peteret, & ad colloquium veniſſet, ab Alexandro & Deiphobo eſt occiſus) ad ſepulchrum ejus eam immolaverunt.* Et non tantum per *oracula* & Diabolica reſponſa inferni Princeps humano generi interitum machinatus eſt, ſed etiam per miniſtros ſuos *fanaticos vates*, & *male feriatas fœminas* tanquam per petaurum ad abominanda illa hominum ſacrificia miſeros mortales impulit. Sic cum Argivi adverſo vento retenti in Aulide hærerent, & graviſſima peſte affligerentur, quæ ipſorum navigationem Trojam verſus morarentur, ea re *ſolicitis Ducibus*, mulier quædam Deo plena Dianæ iram ſatur, & *Iphigeniæ immolationem ad ejus indignationem expiandam*

 per-

perſuaſit; ut videre licet apud Dict. Cretenſem de bello Trojano. Quod Hyginus fabula XCVIII. jurato & laureato illi infernalis Principis Viatori & ſatelliti Calchanti ſcilicet Aruſpici, ejuſque διογμῷ λατρειῷ ita adſcribit. *Is cum Aruſpices convocaſſet, & Calchas reſpondiſſet, aliter expiari non poſſe (quod Agamemnon Dianæ cervam tranſfixerat) niſi* Iphigeniam *filiam Agamemnonis* immolaſſet: *quam cum in Aulidem adduxiſſet, & parens eam immolare vellet, Diana virginem miſerata eſt, & caliginem eis objecit, cervamque pro ea ſuppoſuit.* Hac de cauſa Agamemnon in eum aculeata oratione ita invectus eſt; Μάντι κακῶν, αἰεί τοι τὰ κάκ' ἐστὶ φίλα φρεσὶ μαντεύεσθαι. *vates rerum malarum, ſemper animo tuo jucundum eſt mala vaticinari.* Homerus Iliad. *A* pag. 27. Idem Calchas ut primarius artifex & author immolationis Polyxenæ ad Achillis Buſtum jugulatæ deſcribitur a Libanio declamat. III. Achill. Sic etiam Senior quidam Diabolo authoratus Pelaſgis in Italia author fuit ut *Iuvenum primitias Diis offerrent*. Dionyſ. Halicarnaſſeus lib. 1. cap. 16. Antiquit. *Thraſius* quoque

va-

vaticinandi peritus e Cypro ortus, Buſyridem ad hoc induxit, ut manus ſuas hoſpitum immolatione rubeſecerit, quo agrorum ſqualori & ſterilitati opitularetur, Deorumque iram expiaret. Apollodorus lib. II. Eodem modo *puer Aruſpicum juſſu concrematus eſt, cum pleraque Romæ fulmine eſſent fædata & dejecta.* Obſequens de prod. L. Furio & Serrano Coſſ. & iidem Romani *ex fatalibus libris* edocti *Gallum & Gallam, Græcum & Græcam in foro boario vivos terræ obruerunt.* Livius lib. XXII. p. 394. M. Felix p. 91. Plutarchus Quæſtionum. Rom. p. 84. in Marcello. p. 299. Et ſicut *Diabolus* infandarum harum immolationum *cauſa* prima & *principalis*, *vateſque cauſæ procatarticæ* fuerunt, ita non inficias eo, quod *per accidens mandatum Dei de filii mactatione Abrahamo datum* etiam ad hoc multum fecerit, cum ad ipſos hoc ſpectare homines opinati fuerint, & idololatriæ ſuæ prætendiſſe & prætexuiſſe videantur, qua in re & Satanam ſuam perſonam egiſſe veriſimile eſt. Aggrediemur igitur hanc immolationem paucis percenſere, quam luculenter deſcriptam legis apud Moſem

in geneſi cap. XXII. & Sulpitium Severum Hiſtor. lib. I. cap. 7. *Non multum poſt Dominus Abrææ fidem tentans immolandum ſibi a patre Iſaac poſcit, &c.* Ivo Carnotenſis in Hiſtor. *Cum jam eſſet grandævus Abraham, præcepit iterum ei Deus præfatum filium ſuum Iſaac ſibi* immolari *in monte Moria.* Johann. Tzetza Chiliad. IX. cap. 289. eandem Hiſtoriam deſcribit.

πῶς ἀβραὰμ προσήνεγκε δῶρον θεῷ τὸν παῖδα
καὶ ἀκοαῖς καθέστηκε, καταδῆλον βαναύσοις.

Quomodo Habraam obtulit donum Deo filium.
Etiam auribus eſt manifeſtatum vulgaribus.

Sedulius lib. I.

Mactandumque Deo pater obtulit, at ſacer ipſum.
Pro pueri jugulis aries mactatur ad aram.

Joſephus τοῦτον θῦμα καὶ ἱερεῖον *victimam & ſacrificium Iſaacum oblatum eſſe* ait in Hiſt. Abraham grandævus admodum hoc mandatum a Deo accepit, ut Ivo Carnotenſis ſcribit, nam Abrahamus centum & triginta quinque Iſaac vero triginta quinque annos natus erat, ut docet Joſephus, quem in hoc ſequitur Burgenſis. Joſephus

circa

circa hoc mandatum in Deo ἀσέβειαν carpit, quæ a ſummo illo Numine procul eſt remota. Raſi diverſis oraculis antea hanc Dei voluntatem indicatam Abrahamo putat, quam opinionem omnibus Judæis promiſcue ad hanc uſque ætatem tenaciter inhærere teſtatur Lyranus. Cedrenus in λεπτογενέσει haberi narrat, quod Maſtiphat Dæmoniorum Princeps Deum acceſſerit, dicens: *Si te diligit Abraham, immolet filium ſuum.* & Joſephus fidem dat, quod Deus ſuaſoria oratione ad perſuadendum Abrahamo uſus fuerit. Sed valeant hæ nugæ, καὶ ποιητικὸς κενὸς καὶ λῆρος. Hoc ſcriptura docet, quod Abrahamus ligna, quibus filium immolatum combureret, Iſaaco portanda dederit, unde Ruſticus Helpidius.

Cædis in expenſas fert hoſtia propria lignum;
Nam carum genitor pignus mactare paratus
Ducit Abram.

Ignem ſimul atque ligna ferenda dedit filio, æquū cenſens, ut ipſa victima deportaret res, quas poſtulabat ſacrificium, ut loquitur Philo Judæus.

dæus. *Locus* autem, in quo Iſaacus immolandus foret, erat *mons Moria*, ut Doring, Paulus Burgenſis, & Ivo Carnotenſis teſtantur, qui a Philone Judæo ὑψηλοτάτου κολωνοῦ *editiſſimi tumuli* nomine effertur. Mahumetani fabulantur, quod Iſaacus Diabolos, qui inter eundum ad montem ei patris propoſitum aperirent, & a propoſito retrahere ſtuderent, lapidibus impetierit. Vide Adamum Olearium in Itinerario Perſico. Aben Eſra, & cum eo etiam Raſi adſtruit, eum tanquam animal immolandum *manibus pedibuſque conſtrictum* fuiſſe, idque *invitum* ex opinione Joſephi, quem multis refutat Lyranus, dicens, *quod animalia, quæ offerebantur in holocauſtum, ligata erant*. Salmanticenſis. *Ligatus fuit Iſaac pater noſter in monte Moria, traditio autem eſt in manu omnium, locum hunc eſſe aream Areunæ Iebuſæi, in quo David & Salomon ædificarunt. In eodem loco* Abraham exſtruxit altare, *filium ſuum ligavit*. Adde Marcialem Epiſcopum Lemovicenſem cap. I. pag. 58. epiſtola ad Burdigalenſes, ubi eum ita loquentem audies. *Qui vocatus eſt Abraham juſtum filium*

lium ſuum dilectiſſimum Iſaac, quem amicum ſuſceperat, *Deo* ſuper altare *immolandum hoſtiam obtulit*. Philo Judæus adſtruit, quod Abraham lapides, quibus aram erigeret, congeſſerit, & eis celeriter correptum filium impoſuerit, atqe ſimul ſtrictum vibraverit gladium, & interea, cum Abrahamus huic rei intentus eſſet *patiens ac ſine voce filius patri, ut percuteret, pia colla præbuit, & ligno, quod portaverat ipſe, ſuſpendi non reluctatus eſt*, ſicut dicit Proſper Aquitanicus part. 1. cap. 17. de promiſſ. & prædict. Sed audi jam διεπολιώδη garrientium Rabbinorum. Breſith Rabba nugatur, quo tempore Abraham manum cultro admoverit, ut feriret, *angelos in lacrymas effuſos*. R. Juda in capitulis R. Eliezer fabulatur, Iſaaci animam cum Abraham gladium ejus cervicibus intentaret, & applicaret, effugiſſe: mox rediiſſe emiſſa voce inter Cherubinos. Ne immittas manum tuam; Iſâcumque ſolutum & in pedes erectum adſtitiſſe. *Sed qua de cauſa* Deus Abraham tentavit? Theodoretus quæſt. 73. in geneſin rationem reddit, qua impulſus Deus ſacrificium

hoc

hoc Abrahamo injunxerit, nempe, *non ut ipſe quæ ſciebat, diſceret, ſed ut ignorantes doceret, quam juſta de cauſa* Patriarcham *diligeret*, ob fidem ſcilicet, & obedientiam. Auguſtinus de civitate Dei lib. XVI. cap. 32. ideo hoc factum eſſe dicit, *ut pia ejus obedientia probaretur, ſeculis in notitiam proferenda non* Deo: juxta Calvinum vero, *ut fidei experimentum in ſervo ſuo caperet.* & forte Abrahamus eo promptiori animo in hoc ſacrificium inclinavit, quod ante ejus ex Chaldæa emigrationem idolorum cultum amplexus eſt. Nam eum in familia paterna alienos Deos ſeu idola coluiſſe innuitur Joſ. XXIV. 2. & Ezai. XXIX. 22. Probant id & Eccleſiæ Doctores. Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. I. cap. 4. Gregorius Nazianzenus orat. funeb. in ſororem Gorgoniam; & in vita Gregorii Cyrillus lib. III. contra Julianum. Ambroſius lib. II. de Abraham Patriarcha. Idem ſerm. 17. in Pſalm. 118. Auguſtinus de civitate Dei lib. I cap. ult. & alibi, Gregorius Magnus Homil. 20. in Ezech. Theophylactus in Luc. XVI. Chryſoſtomus in Homil. cui titulus: ne ſcan-

da-

dalum fratri ponamus. Clemens Alexandrinus Recognit. lib. 1. & alii. Hottingerus Hiſtor. Orient, lib. 1. cap. 8. ex Maimonide Comm. in Auzar. cap. 4. 5, 7. & More nevochim lib. III. cap. 29. idem teſtatur, quod Abrahamus Chaldæorum idololatriæ ſucco & loligine imbutus fuerit. Hinc vanum eſſe apparet, quod ait Bellarminus, injuriam Abrahamo a noſtris fieri, qui eum idola coluiſſe ſcribant, quod Calvinus etiam de Abrahamo affirmat; & incomparabilis Salmaſius illum Chaldæorum religione fuiſſe imbutum docet, quem Clariſſimus Schotanus refutans, Abrahamum ex Sabiorum gente abiiſſe demonſtrat in bibliotheca ſacra tom. 1. part. 2. p. 15. Quidquid de hac re ſit, illud certum eſt, quod & Chaldæi & Sabæi homines immolare conſueverint, ſicut fuſius infra oſtendere conabimur. Rigidum hoc fidei Abrahami per ἱεροθυσίαν ſcrutinium non latuit Mahumetanos, ſicut tam ex Adamo Oleario, quam verbis Muhammedis Surat 36. pag. 252. patet, qui propterea Abrahamum & Iſaacum manſuetum & mitem

vo-

vocant. Patricides, & Beidavi in commentar. p. 725. Hottingerus lib. 1. cap 3. Hiſtoriar. Orientalium. Imo etiam Mahumetani Arabes ut Venerem ſive Veneris loco adhuc colunt lapidem brachtham nomine, ὡς ἐπάνωθεν αὐτοῦ τῇ Αγαρ ὁμιλήσαντος τοῦ Αβραάμ. ἢ ὡς τὴν κάμηλον προσδήσαντος ὅτι τὸν Ισαὰκ ἔμελλε θύειν. *quaſi Abraham ſuper eo cum hagar concubuerit; aut camelum ei alligaverit cum Iſaacum ſacrificaturus erat.* Sunt verba Authoris Catecheſis Saracenorum. Adde Euthymium Zigabenum in Panoplia idem teſtantem. Hujus immolationis atque adeo ipſius Abrahami ex Æthnicis meminerunt, Alexander Polyhiſtor apud Euſebium lib. ix. præparat, cap. 27. extraxit autem ex Eupolemo & Artabano, & Melone, qui Abrahami ſacrificium pleniſſime narrat, & oculis ſubjicit.

Cap. IV.

Gentes Abrahamum in hoc æmulatæ ſunt. Saturnus filium immolavit, a quibus populis hic homines immolandi ritus cæperit, qui omnes totius orbis populos fere infecit.

GEntes autem circumjacentes Abrahamum æmulatæ, cum ex illo cruento dæmonum cultu ſcelerum impunitatem,&ſecuritatem ſibi promitterent, impia illa ſacrificia & inchoarunt, & ad feros nepotes tranſmiſerunt. Sed de hac re Clariſſimum virum Joannem Cluverium audiamus dicentem. Ita in Epitome Hiſtoriar. lib. III. *Omnia in pejus rapiente Satana* proximæ gentes ſacrificium illud (Abrahami) æmulatæ, Saturno *ſimiliter* (*is rex Belus fuerat, quem ſcriptura Divina* moloch *id eſt Regem, & Baal hoc eſt Dominum ex gentium conſuetudine cognominat*) filiorum chariſſimos mactare cœperunt. Quod *deteſtabile cacoethes* a Phœnicibus Tiriiſque *acceptum coloni eorum* Pœni in Africam propagarunt, *ut multis adeo populis exinde exſecrandarum Hoſtiarum occaſio & origo nata ſit.* Sed ſicut juxta Cluverii au-

authoritatem populi ad exemplum Abrahami Belo, quem ſcriptura Moloch, pagani Saturnum vocant, filios ſuos immolare cœperunt, ita etiam ipſe Saturnus filium ſuum unigenitum *Cœlo Patri* devovit, & *immolavit*, ut ejus ſanguine peſtem, quæ in homines graſſabatur, exſtingueret, & Muthum ex Rhea gnatum poſt mortem conſecravit, quem Plutonem & mortem Phænices vocant, teſte Philone Biblio. Hinc fabula iſta ad gentes emanavit, omniumque animos occupavit, quod cum Saturnus reſponſo quodam commonitus eſſet, illum, qui ex eo naſceretur, patrem regno exuturum & depulſurum, filios duos Aiden ſive Orcum, & Neptunum devoravit, tertio Jove nominato arte & auxilio Coribantum cymbalis & tympanis Saturni aures obtundentium, patris & mortis faucibus erepto; de qua fabula conſulantur Lucretius lib. II. de rer. natur. pag. 55. Virgilius Æneid. lib. III. pag. 371. & X. pag. 587. Clemens recognit, ad Jacobum fratrem Domini lib. X. pag. 157. Strabo lib. X. geograph. pag. 322. Nonnus

nus Dionyſ. lib. xiv. vers. 25. Nazianzenus in ſancta lumina pag. 828. Arnobius lib. iv. pag. 484. Apollodorus lib. i. Servius ad iv. Georg. pag. 149. & in xii. Æneid. pag. 506. Pauſanias Arcad. pag. 252. Damaſcenus de duobus Chriſti martyribus pag. 872. Dionyſius Halicarnaſſeus lib. ii. pag. 9. Tacianus contra Græcos pag. 286. Theophilus lib. i. ad Autolic. pag. 247. & lib. ii. pag. 266. Theodoretus Serm. ii. contra græcos pag. 43. Epiphanius Ancorato Athenag. apolog. pro Chriſtanis pag. 22. Prudentius contra Symm. pag. 397. Barlaam hiſtoria Damaſceno adſcripta, aliique authores plurimi. Sic igitur anilibus ſuperſtitionibus non tantum, ſed *& cædibus liberorum Diaboli* ſub fictis nominibus *coli cæperunt*, ut Origines teſtatur. Sic gentes *ex ſanguine* (ſuo) *Dæmonibus libamina libare* inſtituerunt. Pſalm. xvi. 4. quo ex loco Tertulliano lux affunditur. Ita enim Tertullianus

Lacerant corpus ſunduntque cruorem
Quale ſacrum eſt vero quod fertur nomine
ſanguis.

Per *ſanguinem* ibi cruentas iſtas æthnicorum libationes idolis oblatas & effuſas intelligi, in ſequentibus probabimus, & ſatis docet Minutius Felix in Octavio pag. 70. *Quid qui* ſanguine ſuo libat, *& vulneribus ſuis ſupplicat, non profanus melius eſſet, quam ſic religioſus?* Hinc, ſicut apud Porphyrium lib. 11. de abſtinentia ab eſu animal habes, οὐ μόνον ὅ, τι κάλλιστον ἐνῆν αὐτοῖς καὶ τοῦτο τοῖς θεοῖς καθοσιοῦντες, ἀλλὰ καὶ πέρα τῶν καλλίστων προσεπιλαμβάνοντες τοῦ γένους. *Non ſolum quod pulcherrimum habebant Diis conſecrantes, ſed etiam, quod ſupereminet omnem pulchritudinem ſuos contribules in victimas aſſumentes, &c.* Innuit autem Anacreontis carmen de poculo argenteo *eadem ſacrificia.*

τῶν τελετῶν παραινῶ
μή μοι ξένον τορεύσῃς.

Neſarium ſacrorum
Ritum auſer exterum.

In principio autem *has humanorum corporum victimas Saturno immolarunt, & combuſſerunt*; ſicut hiſtoria Barlaam Damaſceno adſcripta ſatis teſtatur. *Inducitur enim ab eis ante omnes Deos* Saturnus, *& hujc* ſacrificant

cant filios ſuos. *Qui genuit pueros multos de Rhea & inſaniens comedit filios ſuos;* Idem docent Tertullianus Apologet. cap. 9. Plato Politicor. pag. 315 Hieronymus in Eſaiam lib. XIII. cap 46. pag. 150. Sextus Philoſophus hypotypos lib. III. cap. 24. Tertullianus adverſus Gnoſticos cap. VII. Porphyrius lib. II. pag. 34. Athanaſius contra gentes pag. 21. Origines contra Celſum lib. V. pag. 252. *Hæc* autem *conſuetudor* præcipue *apud Tyrannos reſediſſe* videtur, qui ante Herculis adventum *hoſpites immolare ſolebant*, ſicut docet Dionyſius Halicarnaſſeus Antiquitatum Roman. pag. 33. lib. I. cap. 41. & apud Eruditos in confeſſo eſt & pro certo & rato habetur, quod *Syri* ſive Phænices, & primarii ejus regionis oppidi incolæ Tyrii ex omnibus populis *primi cruentam hanc immolationem machinati fuerint*, cujus rei teſtem adfero Porphyrium lib. II. & Philonem Biblium in hiſtor. Phænic, *de Sanchuniaſtis* teſtantem, quod apud eos ejuſmodi ſacrificia in uſu fuerint. Hinc ſine negotio explicare potes locum Luciani de ſacrificiis pag. 93, ubi hæc habes

ὅτε

ὁ μὲν γε Σκύθης καὶ πάσας τὰς θυσίας ἀφεὶς; καὶ ἡγησάμενος ταπεινὰς αὐτὸς ἀνθρώπους, τῇ Ἀρτέμιδι παρίστησι, καὶ οὕτω ποιῶν ἀρέσκει τῇ θεῷ ταῦτα μὲν ἴσως μέτρια, καὶ τὰ ὑπ Ἀσσυρίων γιγνόμενα; καὶ ὑπὸ Φρυγῶν καὶ Λυδῶν. Quæ verba Eraſmus Roterodamus ita vertit. *Iam vero Scythæ, reliquis omnibus hoſtiis omiſſis, ut quas viles atque humiles exiſtiment*, ipſos homines mactant Dianæ, *atque eo ritu Deam placant; verum hæc fortaſſis modeſta videantur; cumque his ea, quæ factitant Aſſyrii, quæ Phryges, quæ Lydi.* Et cum Syria antiquis temporibus ſub ſe Aſſyriam, Meſopotamiam, Babiloniam, Phænicen, & Palæſtinam tanquam regni ejus partes complexa fuerit, juxta Philippum Claverium Introd. geograph. lib. v. cap. 20. non negari poteſt, quod vel ipſi Chananæi (qui ſub Palæſtina adeoqe ſub Syria comprehendebantur) *ſanguinei*, & Diabolici, iſtius cultus aquiliferi & *authores exſtiterunt*, vel quam citiſſime a Syris ea peſte afflati fuerunt. Conſtat enim ex ſacro codice, nempe Levit. XVIII. 21. & 24. Deutronom. XVIII. 9. 10. & XII. cap. 31. Authore Sapientiæ cap. XII. 5. cap. XIV. 23. ipſos, homi-

mines, *imo proprios filios dæmonibus oblatos immolaſſe, & combuſſiſſe.* Inde *malum illud* citato curſu ad reliquos circumjacentes populos pervaſit; nempe *Moabitas* 2 Reg. III. 26, 27. *Sepharvæos* 2 Reg. XVII. 31. *Ægyptios*, *Arabes*, *Saracenos*, *Perſas*, *alioſque.* Imo *Iſraelitæ* etiam horrendorum horum ſacrificiorum conſuetudinem a Chananæis viciniſque circumjectis gentibus imbiberunt, & adoptarunt. Pſalm. CVI. vers. 37, 38. collatis cum verſibus. 35, 36. tam Iſraëlitæ *decem tribuum*, 2 Reg. XVII. 17. quam *Iudæj*. XXIII. 10. Ezaiæ. LVII. 5, 6. Jerem. VII. 31. XVI. 18. XIX. 5. XXXII. 35. Ezechiel. XVI. 20, 21. 36. XX. 26. 31. XXIII. 37. 39. *qui Chananæi*, ſicut loquitur in libro ſuo Author Sapientiæ cap. XIV. vers 23. *Aut ſacrificia ex cæde liberorum, aut occulta myſteria, aut furioſas ex alienis legibus commiſſationes agentes* (bacchabantur) *A Syris* autem horrenda hæc peſtis immenſa terrarum ſpatia emenſa & *Scythas corripuit*; & ipſum Oceanum tranſvecta ad *Pænos* ſeu *Carthaginienſes*, *& Gallos*, *Germanoſque*, *alioſque Septentrionis populos* trajecit, qui certatim cœli-

clementiam abominabili ea religione promereri ἅπασι τοῖς τρόποις incubuerunt. Sed ut accuratius hoc demonſtrem, hujus loliginis ſucco imbuti, & ſubventaneæ religionis vappa inebriati inſanierunt præter modo dictos Syros, Chananæos, Moabitas,& Iſraëlitas,Judæoſque.Ezech. XI. cap. 26. *Sabæi.* Hottingerus de relig. Sabæor. veter. lib. I. cap. 8. pag. 181. *Tirii.* Curtius lib. IV. pag. 43. *ex quibus Carthaginienſes* cruentum hunc ritum acceperunt. Juſtinus lib. XVIII. pag 114. Tertullianus Apolog. cap. IX. Euſebius de præparat. lib. IV. Cyrillus lib. IV. adverſus Julianum. Auguſtinus lib. VII. cap. 19. de Civitate Dei ex Varrone. Hieronymus ad vers, 47. cap. VII. Jeremiæ: Plato in Protagora. Silius Italicus lib. IV. pag. 46. Lactantius lib. I. de falſa relig. pag. 57. c. 21. Juſtinus lib. XIX. pag. 116. Porphyrius lib. II. dicens, καὶ μὴν καὶ οἱ ἐν λιβύῃ καρχηδόνιοι ἐποίουν τὴν θυσίαν ἣν Ἰφικράτης ἔπαυσεν. *Quin etiam Carthagini in Africa victima humana immolabatur.* & Ennius in voce puellus apud Nonium Marcellinum de *Carthaginienſibus* canit

Ille

Ille ſuos Divis mos ſacrificare puellos.

Quod ſacrilegium verius quam ſacrum Carthagienſes a conditoribus traditum, uſque ad excidium urbis feciſſe dicuntur, ſunt verba Q. Curtii lib. IV. pag. 43. licet Darius ſed re infecta hæc nefanda piacula & homicidia ex occæcata hac natione per legatos antea tollere ſategerit, Juſtinus lib. XIX. pag. 116. *Dum hæc aguntur, legati a Dario Perſarum Rege Carthaginem venerunt, afferentes edictum, quo Pœni humanas hoſtias immolare, & canina veſci prohibebantur.* A Carthaginienſibus autem reliqui Africani infecti creduntur; Felix in Octavio pag. 21. Tertullianus Apol. cap. 9. *Æthiopes.* Heliodorus lib. X. ἔμελλε δὲ ἄρα ἡ χαρίκλεια παρέσεσθαι τοῖς δρωμένοις· οὐχ ὡς θεωρὸς, ἀλλ᾽ ἱερεῖον ἐσομένη τῆς σεληναίας. Quæ latine ſic ſonant. *Aſſutura autem erat & Chariclea, non tanquam ſpectatrix, ſed victima Lunæ futura.* Imo hæc conſuetudo tam altas egit radices, ut hodierno adhuc die plurimorum Africæ populorum mentibus & religioni inhæreat, ſicut apud incolas *Cabo Lahou in Guinea*; *in regno Makoko inferioris Æthiopiæ*; *imperio Kalamauſe*; aliiſque in

 mul-

multis Africæ regionibus, de quibus conſule Dapperum in deſcriptione Africæ pag. 366. aliiſque multis in locis. *Syros* in horrendo hoc ritu tanquam parentes, & authores æmulati & *imitati ſunt Ægyptii*, apud quos Buſiris Neptuni filius ex matre Lybia Paphi filia hoſpites immolare aggreſſus eſt, ut eorum ſanguine agri nimio furentis ſolis æſtu ſteriles & exuſti fæcundarentur, annonæque caritas profligaretur; de eo ſic Cyprianus in Sodoma.

Fugeret quam præſcius hoſpes
Ante vel ad Scythicas, vel apud Buſiridis aras,
Exoptans per ſacra necem, cæſuſque cruorem
Fundere Bebrycium & Lybicas ſatiare palæſtras.

Adde Juſtinum cohortat. ad Græcos. Oroſium lib. v. cap. I. Apollodorum lib. II. pag. 104. Bibliot. Iſocratem in laudatione Buſiridis. Freculphum Chron. lib. II. cap. 9. M. Felicem in Octavio pag. 21. Luctatium in XII. Statii Thebaid. pag. 407. Servium in III. Georg. pag. 120. in VIII. Æneid. pag. 504. alioſque. Hunc immanem Tyrannum monſtorum occiſor Hercules ab ipſo jam

ſa-

ſacrilegæ aræ admotus clava confecit. Hyginus fab. 31. *Ab hoc neſario Tyranno tota Ægyptus nefanda hæc ſacra didicit.* Servius ad lib. 1. Æneid. verſ. 735. Hyginus Fab. XXXI. & LVI. Virgilius Georg. III. pag. 71. Porphyrius lib. II. de abſtinentia. *Quem tamen ritum* Rex *Amaſis* Heliopoli *antiquavit.* Porphyrius lib. II. de abſtinentia ab animal: id docet. κατέλυσε δὲ ἐν Ἡλίου πόλει τῆς Αἰγύπτου τὸν τῆς ἀνθρωποκτονίας νόμον Ἄμωσις. *Amoſis vero Heliopoli quæ eſt in Ægypto urbi ritum mactandi ſuſtulit*, Sic *Phryges & Lydi* etiam humanis ſacrificiis Deos coluiſſe leguntur apud Lucianum de ſacrificiis, pag. 93. Eadem homicidii macula inquinati fuerunt *Ninivitæ.* Sulpitius Severus lib. XII. *Trojani:* Hyginus Fab. LXXXIX. *Perſæ.* Seneca de ira lib. III. cap. 16. pag. 51. Herodotus lib. VII. *Incolæ Pellionis urbis*, Arrianus de Expedit. Alexand. lib. 1. pag. 13. *Saraceni.* Paul. Æmilius lib. II. *Dumatii in Arabia.* Porphyr. lib. II. *Thraces.* Orpheus in Argonaut. id docet his verbis, quæ eo ſenſu capienda ſunt.

πελλήνην τ' εὐρεῖαν ἰδὲ ζαθέην σαμοθρήκην
ἔνθα καὶ ὄργια φρικτὰ θεῶν, ἄρρηκτα βροτοῖσιν,
ἄσμενοι εἰσεπέρησαν ἐμῆς ὑποθημοσύνῃσιν
ἥρωες. μετὰ γὰρ σφιν ὀφέλσιμον ἀνθρώποισι
τῆς δὲ θυηπολίης ἄμοτοι πλωτῆρσιν ἥκαστος.

Pellenem latam, nec non Diam Samothracem
Hinc quoque mortali nulli dicenda Deorum
Sacra meis moniti ſermonibus, horrida vitant
Heroes. Illinc namque inſatiabile lucrum
Incola de nautis ſacrorum vindicat uſu.

Adde Herodotum lib. IX. pag. 540. *Albani circa Caucaſum montem habitantes.* C. Rhodiginus lib. XVIII. cap. 27. p. 1018. *Scythæ tam Europæi* quam *Aſiatici.* Lucanus lib. I. *de Scythis* in genere.

Et Teranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Valerius Flaccus Argonauticon. lib. II.

Procul effera virtus
Bebricis, & Scythici procul inclementia ſacri.

Niceta Choniata Annal. de Andronico. de *Tauro-Scythis* in ſpecie: ἢ τινὲς ταυροσκύθαι, ξενοκτονίαν νενομικότες. *Qui Tauroſchytæ, quorum legibus mactantur hoſpites.* Addatur Cyrillus contra Julian. l. IV. ita explicandus. *Bonos dic obſecro Deos, & præſides, Tibi & tecum*

eum ſapientibus datos eſſe dicis? & quibus præſidentes gentibus? Num Thauricam inhabitantibus Cheroneſum, & Scythis, crudeliſſimiſque aliis barbaris, qui manſuetudinem & placiditatem nihili faciunt, appreciant autem gravem iram & impotentiam animi, prophanoſque alios mores, & inſuper gloriam putant homicidium.

Hinc facile intelligitur, quid ſibi velit, & innuat Callimachus in hymno in Dianam.

Ἤ ἵνα δαῖμον ἁλαῖς Ἀραφηνίδας οἰκήσουσα
Ἦλθες ἀπὸ Σκυθίης, ἀπὸ δ' εἴπαο θέσμια Ταύρων.

Aut ubi Tu Dea olas Araphenidas inhabitatura
Veneris e Scythia, & reſpueris ſacra Taurica.

Hinc intelligitur Prudentius contra Symmach. lib. 1. pag. 329. innuens *eadem cruenta ſacra.*

Incaſſum arguere jam Taurica regna ſolemus.

Cruentorum horum Tauricorum ſacrorum myſteriis Iphigenia Agamemnonis filia per ventorum inclementiam ad has oras appulſa, ut Sacerdos operata eſt, teſte Ovidio lib. III. de Ponto pag. 285. & diu hæc dira ibi celebrata fuiſſe leguntur apud Lactantium lib. 1. cap. 21. de falſa religione. *Maſſagetas* Philoſtratus de

Apollonio lib. VIII. cap. 3. *Scythis* adjicit. οὐ Σκύθην με, ὦ βασιλεῦ, ἥρηκας, οὐδ᾽ ἐκ τῆς ἀμίκτου ποθέν. οὐδ᾽ ἐπέμιξά πω Μασσαγέταις, ἢ Ταύροις, ὡς κἀκείνοις ἂν τοῦ τῆς θυσίας ἔθοις μετέβαλον. *Non enim Schytham me putaveris o Rex! nec ex aliqua Patria natum extra commune hominum conſortium poſita: neque cum Maſſagetis, aut Tauricis unquam ſum verſatus, ut eorum ſacrificandi mores aſſumpſerim.* Sed non omnes promiſcue Scytharum populos, civitates, atque loca hæc immanitas & horrenda crudelitas dementavit; Teſtatur Ammianus Marcell. lib. XXII. pag. 392. *Sunt autem quædam per Tauricam civitates: inter quas eminet* Eupatoria, *&* Dandace, & Theodoſia *& minores aliæ nullis humanis hoſtiis impiatæ.* Sed ab his cruentis ſacrificiis non fuerunt immunes, ſicut reliqui Scythæ; Plutarchus lib. de ſuperſt. p. 171. ita etiam nec Pontici, ſive *ponti incolæ.* Felix in Octavio p. 21. Valerius Flaccus l. II. Argonaut. Athanaſius contra gentes p. 21. Prudentius contra Sym. l. II. p. 374. *Sauromatæ* hujus ſævitiæ quoque rei fuerere Statius lib. III. Theb. pag. 146. *Gothi.* Jornandes de Reb. Get. c. 5.

pag.

pag. 19. *Getæ.* Hieronymus lib. II. epiſt. 22. Hinc intelligitur etiam Prudentius Apotheoſis pag. 247.

Manſuevere Getæ, feritaſque cruenta Geloni.

Sed forſitan ibi non de cruentis hominum immolationibus; ſed ſanguineo, quem hauriebant, potu loquitur, de quo ita Sidonius Apollinaris Paneg. Soceri ſui

Solitoſque cruentum
Lac potare Getas, ac pocula tingere venis.

Hunni etiam hac inſania laborarunt. Jornandes de reb. Getic. cap. 23. pag. 69. *Heruli.* Procopius Gothic. lib. II. *Scordiſci.* Florus lib. III. cap. 4. Ammianus lib. XXVII. pag. 710. & *Senetæ.* Evagrius Hiſtor. Eccleſ. lib. VI. cap. 21. pag. 608. Et ut ulterius me in Europam immittam. *Galli.* Cicero pro Fontejo. *Conſuetudo hominum immolandorum apud Gallos.* Addantur Plutarchus de Superſtit. pag. 171. Livius lib. XXXVIII. pag. 844. Lactantius lib. VII. *Maſſilienſes*, Petronius Arbiter pag. 149. Et quamvis *Auguſtus Octavius civibus Druidarum apud Gallos diræ immanitatis religionem interdixiſſe, Claudius Cæſar penitus aboleviſse* dicantur a Suetonio in

Claudio N. 25. pag. 220. tamen non ita ferus eorum mos conſenuit, nec innata feritas elanguit, nam *Franci* cum jam Chriſtum colerent, Diabolum tamen ſimul etiam *his victimis colere* non deſierunt; ad Procopii enim ætatem hæc feritas continuavit, ut ipſe teſtatur; adeo ut hic applicari poſſint verba Cæſii Baſſi.

Calliope princeps ſapienti pſallerat ore
Romani Gallis devicti ſunt victores.

Nam non tantum armis, ſed etiam horrendi hujus ſacrificii pertinacia Romani a Gallis victi & triumphati fuerunt; errat igitur Strabo lib. IV. cap. 360. ſcribens, *quod Romani eos ab hac ſacrificandi ratione penitus abſtraxerint*. Niſi hæc ejus verba non de totali abolitione, ſed ſuſpenſione temporali capienda ſint. *Friſii* quoque *homines immolaſſe* leguntur. Schotanus & Winſemius Friſiæ. Hiſtor. *Germani.* Tacitus in Germania. *Cimbri.* Strabo Geograph. lib. VII. Veriſimile Olao Wormio lib. 1. cap. 5. videtur, *Othinum* abominandæ idololatriæ & magiæ in oris Septentrionalibus promum condum (quem ex Aſia in Septentrionem cum ſuis perveniſſe proditum

ditum eſt,) *hunc ſacrorum ritum* una *attuliſſe*, eique Satrapam ſuum Fro dictum præfeciſſe: Qui cum opus ſtrenue urgeret, ac incolis hunc Diis gratiſſimum ritum perſuaderet, deinceps ab omnibus tam horrendi ſacrificii author habitus eſt. Sic Fro Satrapam tanquam primum hujus Diabolici ritus apud Upſalam authorem, promotorem, & operarium exhibet nobis in Hiſtor. Saxo lib. III. *Fro Deorum Satrapa, qui ſedem haud procul Vpſala cepit, ubi veterem litationis morem tot gentibus & ſeculis uſurpatum triſti infandoque piaculo mutavit.* Quod piaculum tot apud Danos & Septentrionis populos duravit ſecula, ut ad Henrici Aucupis Romanorum Imperatoris tempora fuerit tranſmiſſum, a quo tandem omnino ſublatum eſt Ditmaro teſte l. I. *Hominum immolatores & Thulæ inſulæ incolæ* fuerunt. Procopius lib. II. Gothicor. *Scoti.* Hector Boethius. *Græci.* Cointhus Smyrnæus lib. XII. Virgilius lib. I. Æneid. Quintilianus lib. VI. cap. 2. pag. 268. inſtitut. Euripides in Iphigenia. Mela lib. II. pag. 59. *Athenienſes.* Apollodorus lib. III. Hyginus fab. 46. *Lacedæmonii.*

Fulgentius de vocibus antiquis. Theodoretus ſerm. 7. *Thebani.* Philoſtratus in Icon. lib. I. Pauſanias lib. IX. pag. 674. *Laodicenſes.* Porphyrius. lib. II. *Arcades*, quorum Rex Lycaon advenas hoſpitio exceptos necavit, & devoravit. Servius ad lib. I. Æneid. verſ. 735. Sed Pauſanias lib. VIII. p. 534. teſtatur, quod *infante mactato humanum ſanguinem libaverit* (Lycaon.) *Corinthii.* Pauſanias lib. II. *Achæi.* Appianus Alexandrinus de bello Mithridat. p. 161. Herodotus lib. VII. p. 436. *Meſſenii.* Cyrillus contra Julianum lib. IV. *Iberi.* Statius l. IV. eleg. 6. p. 73. *Aborigines.* Halicarnaſſeus p. 13. l. I. c. 16. Antiquit. Roman. *Tarquinienſes.* Livius lib. VII. *Romani.* Macrobius lib. I. cap. 7. Livius lib. XXXIX. pag. 856, 857, 858. Athanaſius contra gentes pag. 21. Tatianus contra Græcos pag. 287. Porphyrius lib. II. pag. 35. Tertullianus contra Gnoſticos cap. VII. *Curetæ.* Iſtrus in Collect. Sacrific. *Cretenſes.* Athenagoras, & Athanaſius Orat. adverſ. Græcos. Apollodorus lib. I. Pauſanias lib. I. Iſocrates Laudat. Helenæ p. 411. Tzetza Chil. II. cap. 379.

In-

Incolæ Cypri. Prodromus lib. VII. & VIII. *Salaminæ.* Porphyrius lib. II. *Cherſoneſi.* Phylarchus ex Hygino. *Chii inſulæ.* Porphyrius lib. II. *Tenedi.* Evelpis Caryſtius; *aliarumque inſularum habitatores. Choatræ.* Flaccus Argonaut. lib. VI. *Megalopolitani.* Porphyrius lib. II. *Ceraſtæ.* Ovidius Metam. lib. X. pag. 291. *Baſſares.* Porphyrius lib. II. *Tyrrheni.* Johann. Tzetza chil. VIII. cap. 235.

ὡς μέχρι καὶ ἱέρων☉ ἱερουργεῖν ἀνθρώπους.

Ut uſque ad Hieronem (Tyrrheni) immolarent homines.

Epidauri cives. Suidas in Epidauro. Plato in Phædone; & Hieronymus Wolfius Suidæ interpres. *Bletoneſii*; de his Plutarchus in Quæſt. Romanis pag. 283. *Cur Romani cum inaudiviſſent*, *a* Bletoneſiis, *qui eſt populus barbarus*, immolatum Dijs hominem eſſe, *eorum Magiſtratus acciverunt*, *ut pœnas de iis ſumerent: cum autem appareret*, legis cujuſdam juſſu *id factum*, *miſſos eos fecerunt. Sed iſto ſacrificio in poſterum interdixere*, &c. Imo etiam *hæc labes* ſine dubio per primam humani generis per totum terrarum orbem diſperſionem *ad Americanos perva-*

ſit, ſicut apparet ex Martyre decad. v. cap. 10. pag. 432. aliiſque plurimis locis infra indicandis. Præter hos in hoc capite citatos Auctores de Victimis Humanis conſulantur, Sextus Rufus in breviario. R. Gaguinus in Carolo Magno. Solinus cap. 20. & 24. Gellius lib. 11. cap. 6. Noct. Atticar. Aventinus Hiſtor. Boior. lib. XXIII. pag. 9. Hæc abominanda *ſacrificia hominum Imperator Adrianus* laudabili zelo per omnia imperii Romani regna & regiones antiquavit, & *ſuſtulit*, ſicut apud Porphyrium lib. II. Pallas de mythræ myſteriis docet. Ἐφ᾽ Ἀδριανοῦ τοῦ αὐτοκράτορος καταλυθῆναι τὰς ἀνθρωποθυσίας σχεδὸν τὰς παρὰ πᾶσι. *Adrianum Imperatorem pene ex omni imperio humanas immolationes ſuſtuliſſe.*

CAP. V.

Hoſtiæ humanæ combuſtæ & immolatæ Molocho; qualis ille & quorum Deus, Saturnus nempe; cui homines immolati ſunt; qui etiam Baal fuit vocatus. Soli ſive Apollini & Phœbo etiam homines mactati ſunt: quidam Baalem fuiſſe exiſtimant Solem & Herculem. Quatuor Baales. Nazian-

zianzeni lapſus notatus. Baalzebud Hercules cellariis præſidens. Hercules vocatur Chon. Amos illuſtratus. Vocatur etiam Ζάνδης. *Hercules ſub nomine Solis cultus. Illuſtrantur Ditmarus, Niceta Choniata, & Firmicus. Hercules & Sol Mithra dicti. Gigas vocatur Sol & Chriſtus. Illuſtrantur Maximus, Damaſus, Ambroſius & Fortunatus.*

DIcemus jam, *quibus Deis* ſive *idolis diræ hæ victimæ humanæ a cæco gentiliſmo fuerunt immolatæ.* Sic *Chananæi, Iſraelitæ, aliique in orientem verſi populi filios ſuos vivos idolo* nomine *Molochi* obtuliſſe, immolaſſe, & *combuſſiſſe* leguntur. Levitic. XVIII. 21. & XXIV. 4. XX. 2, 3, 4. 2 Reg. XXIII. 10. Jerem. XXII. 35. Præter Chananæos autem, atque Iſraelitas, etiam *Molech* ſive *Malchom Ammonitarum* erat *idolum.* Jerem. XLIX. verſ. 1. 3. Amos V. 26. Levit. XVIII. 21. & XX. 2, 3, 4, 5. 1 Reg. XI. 7. & XXIII. 10. Jerem. XXXII. 35. vocatur Μολοχ Actor. VII. 43. & *Milcom* 1 Reg. XI. 5. 33. 2 Reg. XXIII. 13. Sunt, qui exiſtimant, illum fuiſſe, quem Romani *Saturnum* vocarunt. Quod haud ficulneis & trivialibus nititur

tur rationibus. Saturnus enim inter planetas ſphæram tum altiſſimam, tum ampliſſimam habitans quaſi Rex quidam eminet; & voces hæ *molech*, *malchom*, & *milcom* derivantur ab Hebraica radice, quæ regnare, atque adeo Regem denotat: unde Symmachus βασιλέα vel ἄρχοντα ponit, ubi Septuaginta Interpretes Μολὸχ habent, ita ut hoc nomine populi Orientales, qui aſtra religioſe venerari ſoliti erant, Saturni ſtellam propter rationem, quam attulimus, nuncuparint. Hoc dæmonium *Moloch a Syris* nomine *Moloch Rimmon*, & *Remnon* exprimebatur, vide 2 Reg. v. 18. & Hieronymum ad Amos v. c. 26. verſ. ubi citat opinionis ſuæ teſtes Aquilam, Symmachum, & Theodotium; & hoc veriſſimum eſſe videtur, cum in Lexico Ægyptiaco in planetarum nominibus Saturnus ρηφὰν vocatur. *Sapharvai Saturno* ſub nomine *Adramelec filios* ſuos devotos *combuſſerunt*. 2 Reg. XVII. 31. quod idolum compoſitum ex adra potens, & Melech, ſeu Moloch, hebraice Rex, figuram equi, aut phaſiani, aut coturnicis habuiſſe volunt Rabini. Et *Molech* ſive

Mo-

Moloch, quem Cananæi & Iſraelitæ liberorum ſuorum combuſtione venerati ſunt, Saturnum fuiſſe ex eo patet, quod *Phœnices* (a quibus Chananæi & Iſraelitæ ſub eodem populo a veteribus complexi idololatriam ſuam adſciverunt) *eidem Saturno homines mactaſſe* dicuntur a Porphyrio lib. II. ſicut etiam *Tyrii*, & colonos ſuos æmulati *Carthaginienſes*, & *Africani* in ejuſdem Dei honorem piaculum hoc commiſerunt, de quibus inſpiciantur Plutarchus pag. 71. de ſuperſtit. Tertullianus Apolog. cap. 9. quem honorem Silius Italicus de bello Punico lib. IV. f. 46. generaliter Diis fuiſſe præſtitum a Carthaginienſibus teſtatur. *Hunc* autem ſuum *Deum Pæni* contracte *Bal* pro *Baal* nominabant, ut ait Iſidorus orig. lib. VIII. cap. 11. unde etiam originem traxiſſe putant Balſamum, ac ſi diceretur Dominus aromatum, propter ejus præſtantiam. Auguſtinus lib. VII. cap. 16. autor eſt, Baalem apud Pænos ſignificare Dominum, unde per Balſamen, inquit, Dominum cœli intelligunt. Hoc idoli nomen una cum abominabili hominum immo-

molandorum cultu Tyrii, ſive Phænices & Sidonii ad Carthagi-ienſes ſeu Pænos abſque dubio tranſmiſerunt; nam hoc dæmonium nomine *Baal colebatur à Sidoniis*, ut colligitur ex 1 Reg. xvi. cap. 41. hinc ab Hieronymo Sidoniorum ſive Phænicum Deus vocatur; & *a Moabitis* Numer. xx. 41. quem Syri, Aſſyrii, ac Babylonii *Beel* contracte *Bel* dicere ſolebant; & hunc *Baalem* ſive *Belem Saturnum* ſeu *κρόνον fuiſſe* aſſerunt Theodoretus in Pſal. cv. 26. & Theophilus lib. III. ad Autolyc. Cui otium ſuppetit, inveſtigandum hic relinquo, an non etiam Septentrionis populi aut Deum nomine Baal, aut Saturnum ea voce coluerint, cum ab hoc idolo mare balticum *de beltiſche zee* aliaque ei confinia vocabula originem ſuam traxiſſe videantur? ſicuti ex illa fabula omnium gentium ore decantata, qua *Saturnus proprios filios male, neſarie, audacter, & ingluvioſe devorando in alvum tranſmiſiſſe dicitur*, hæc vocabula in noſtra Friſiaca aliorumque Septentrionalium populorum lingua, ut fabulæ iſtius idolique Saturni ſive Baalis monumenta re-

man-

manſiſſe apparent. E. G. vox illa *Baldadig*, quod malum, nefarium, & audax denotat, & Hebraice per *boleach* atque *betach*; Anglice *bolde*, atque veteri Gothico idiomate (a Gothis enim Friſii deſcenderunt,) per τὸ *baltha* exprimitur: item apud Belgas, Germanos, Saxones, & Friſios de *bauch*, *de belh*, *de balh*, apud Anglos, qui Saxonum & Friſiorum coloni ſunt, *bellie*, quod vocabulum in latina lingua ventrem & alvum denotat. Quicquid hac de re ſit, hoc certum eſt, quod *Friſii* & *Saxones Saturnum adoraverint*, ſicut conſtat ex Galfredo Monumetenſi lib. vi. Hiſtor. Britann. cap. 10. pag. 43. quem Septentrionales populi *Crodo* & *Saeter* nominarunt, & coma atque barba prolixa ſenem depinxerunt, a quo dies *Saturdagh* (Friſiace *Sniouu*) derivatur, ſicut teſtatur Richardus Verſtergan apud Olaum Wormium lib. 1. cap. 4. Monument. Danicor. Licet Johannes Waſthovius in præfatione ad vitas Sanctorum illum diem a Saxonibus Flammæ (unde *Loverdadagh* quaſi *Lovedagh*) attributum fuiſſe ſed non bona, ut opinor, fide

ſide atteſtetur. Eidem *Saturno Cypri incolæ homines immolarunt.* Prodomus lib. VIII. Amorum; ſicut etiam *Curetæ*, nam apud Porphyrium lib. II. Iſtrus in collectionibus ſacrificiorum aït τὺς κυρῆτας τὸ παλαιὸν τῷ κρόνῳ θύειν παῖδας *Curetas antiquitus ſolitos Saturno pueros immolare.* Et etiam *Rhodii.* Porphyrius lib. II. imo ipſi *Romani.* Macrobius lib. I. cap. 7. Saturn. Lactantius lib. I. de falſa religione.

Et præter Saturnum, etiam *Sol* apud veteres humano ſanguine & *cruentis immolationibus placatus eſt apud Æthiopes.* Heliodorus Æthiop. libro X. ἀλλ' οἶσθα ὡς ἄῤῥενα μὲν τῷ ἡλίῳ, θήλεια δὲ τῇ σεληναίᾳ καὶ προσάγειν τε καὶ ἱερουργεῖν ὁ νόμος βούλεται. Quod ita Bourdelotius vertit. *Sed ſcis, quod maſculum quidem ſoli, fœminam autem Lunæ & offerre & ſacrificare lex poſtulat.* Quidam alicubi in Sacra Scriptura per *Baalem* ſive *Belem Solem* intelligunt. Nam *Belem* a *Phœnicibus* aliiſque ſua lingua *dici Solem* probat etiam Herodianus lib. VIII. in Maximino pag. 302. Βέλιν δὲ καλοῦσι τοῦτον, σέβουσί τε ὑπερφυῶς, Ἀπόλλωνα εἶναι ἐθέλοντες. *Belem vocant indigenæ, magnaque eum reli-*

gio-

gione colunt, Apollinem interpretantes. Hunc autem Belem ſivè Solem Syri, Aſſyrii, & Phænices aliique orientales populi omni religioſo cultu honorarunt. Herodianus lib. v. pag. 201. & Sabæi ut maximum Deum maxime coluerunt. Hottingerus Hiſtor. Oriental. lib. 1. cap. 8. pag. 176. Hunc *Balem* ſive *Belem Solem* alii *pro Hercule* etiam *habent*, ſuamque opinionem probant, tam, quod Hercules in Hebraica lingua dicitur, quaſi omnia illuſtrans & illuminans, quam quod Hercules apud Tyrios & Phænices religioſe adoratus fuiſſe in Authorum monumentis legatur. Hæc aliorum ſunt argumenta, quibus noſtras opiniones & rationes adjiciam. *Quatuor Baales* in Sacra Scriptura recenſentur, nempe *Baal-Berith*, id eſt *Dominus fœderis* ab Iſraelitis, Judic. VIII. 33. *& Sichemitis* cap. IX. 4. cultus; apud quoſdam *pro Iove Lapide* aut *Conſo Subterraneo Romanorum* habitus; *Baal-pehor* ſive *Baal-phegor*, *idolum hiatus*, vel *dominus cadaverum*, dæmonium *Moabitarum*; Numer. XXV. 3. 5. Deutronom. IV. 3. Oſeæ. IX. 10. quem quidam *Priapum* interpretan-

tantur. *Baal-zephon ab Ægyptiis* obſervatus: & *Baalzebud* apud *Accaronitas* venerabilis, 2 Reg. 1. 2. cujus & meminit Prudentius in Periſteph. Hunc poſtremum *Baalem* vulgo *Dominum muſcarum* explicant; Origines in tractat. 30. in Mathæum *Virum Muſcarum*, & Joſephus lib. IX. cap. 1. Antiquit. θεὸν μύιαν *Deum muſcam* vocat, non, quod muſcæ formam haberet, ſicut Nazianzenus contra Julianum exiſtimat, ſed *quoniam Accoronitæ in Palæſtina eum penui & cellariis præfecerunt: & hic eſt Hercules* ille Deus, *qui apud Romanos cellarum & penuariorum curam geſſit*, eo quod in Olympicis certaminibus a muſcis vexatus *Iovi* Ἀπομυίῳ *muſcarum abactori* ſacrificaſſe, & hoc ſacrificium ac inſtitutum Eleis tradidiſſe dicatur, vide Plinium lib. XXIX. cap. 6. Athenæum lib 1. cap. 5. Antiphanem, Pauſaniam in Eliacis, Maximum Caſaubonum in notis ad Athenæum, aliosque. *Hic* Hercules etiam *Chiun* vocatur Amos. v. 26. & *Chon* ab *Ægyptiis*; apud quos *forma gigantea ſolebat depingi*, ut author Lylius Gyraldus in Hiſtor. Deor. & maximo in honore

nore & pretio habebatur, utpote *quem ortum apud ſe, & antiquiſſimum perhibebant*, ſunt verba Taciti Annal. lib. 1. p. 81. ſicut etiam apud Indos gigantis nomine gentiles Herculi divino cultu adulati fuerunt, ſicut videre licet in Megaſthene. *Perſæ* hunc *Herculem* Σάνδην *appellarunt*, ſicut Agathia Scholaſticus lib. 11. Hiſtoriarum affirmat. Hinc forſitan *Hercules* ſive *Sol* noſtro idiomate *de Son Sonne* nuncupatur. Nam *Herculem* ſub *nomine Solis* apud noſtros majores, Gallos, Germanos, Septentrioniſque incolas comprehenſum & cultum fuiſſe exinde probari poſſet, quod licet Herculem cum Marte & Mercurio pro primariis ſuis Deis habuerint, tamen illi ullum diem ex ſeptem dedicaſſe expreſſe non legantur, cum non tantum Marti, Mercurio, & Veneri ſed etiam minoribus ſuis dæmoniis Lunæ, Jovi, & Saturno eo honore adulati fuerint. Legimus etiam apud Ditmarum lib. 1. pag. 12. Hiſtor. quod Dani aliique Septentrionales populi quotannis menſe Januario XCIX *homines*, & *totidem equos cum canibus & gallis gallinaceis* occidere & *im-*

immolare conſueverunt, quam ſuperſtitioſam & horribilem conſuetudinem a *Scythis* (quos ejus gentis authores fuiſſe extra controverſiæ aleam eſt.) hæreditaſſe videntur; illi enim, cum aliquis ex nobilioribus defunctus efferretur, *bello captos una cum accipitribus, canibus, armis, arcubus, & gladiis atque equis vivos cum mortuo populari terra obruerunt.*, ſicut Niceta Choniata teſtatur in vita Balduini Imperatoris. *Hoc* autem *ſacrificium a Scythis & Danis Soli oblatum fuiſſe dici poſſet.* Nam *Soli* in gentiliſmo *ſacri fuerunt* & *equi*, ut patet ex Eumenio Paneg. ad Conſtantinum pag. Dione lib. LXXV. in Severo; Ennio in Scipione; Nonno Dionyſiac. lib. XII. Maximi paneg. Conſtantino dicta. & *accipiter*, ſicut docet Porphyrius lib. IV. & *gallus gallinaceus*, juxta Jamblichum de vita Pythagoræ cap. 28. unde etiam apud antiquos *Sabæos Soli pullos gallinos & gallinas comburere* receptum erat, ſicut oſtendit Maimonides Nevochim cap. 29. hinc etiam præter gallos gallinaceos, accipitres apud Germanos, alioſque populos infra ordine numeratos magno in honore, pretio,

tio, & delitiis habebantur, ſicut demonſtrant. Leges Longobardorum lib. I. tit. 14. Alamannorum tit. XCIX. §. 20. Lex Ripuariorum tit. 36. Codinus cap. 3. Cura Palatii & 5. Oppianus de venat. lib. I. leg. Salica tit. VII. §. I. & tit. VII. §. 4. Additamentum leg. Burgund. I. tit. II. §. I. & tit. XIV. & Leg. Bajuvariorum tit. XX. §. I. tit. XIII. cap. III. §. I. Capitula Karoli & Ludovici Impp. lib. IV. tit. 21. Synodus ſub Carolomanno anno DCXLII. Gregorius Turonenſis lib. V. cap. 14. *Sol* autem ſub *Herculis nomine cultus eſſe*, & non alius nec diverſus ab Hercule apud Gallos, Germanos, & Septentrionales populos fuiſſe propterea etiam videtur, quod, cum *Herculi humanas hoſtias immolatas* fuiſſe autores ſcribant, (ſicut Schotanus in deſcript. Friſiæ,) nullus tamen *Solem* prædictos apud populos *ſacrificiis iſtis cruentis* placari conſueviſſe expreſſe dicat, licet in ſuperioribus ſatis probaverimus, eum honorem etiam Soli exhibitum fuiſſe. Sed firmiſſimum argumentum opinioni meæ inſerviens, cui nemo niſi frontem penitus exuerit, re-

fragari poteſt, depromitur ex Julio Firmico de errore profanarum Religionum. *Virum vero abactorem boum* (Perſæ) *colentes ſacra eſus ad ignis tranſſferunt poteſtatem. Hunc Mithram dicunt.* Et quis alius eſt *vir* ille *boum abactor* quam *Hercules?* qui, ut cum antiquitate fabulantur Athenæus & Hecatæus, *Geryonis boves abduxerit*; de cujus exantlatis laboribus, taurorum abactione, & Geryonis interemptione vide Horatium lib. II. Od. XIV. & Acronem ad illam odam. lib. III. Od. 10. & lib. IV. Od. 4. Carm. Latinum Pacatum. Cointhum Smyrnæum lib. VI. Libanium Orat. X. de Hercul. Certamin. & multis aliis in locis. Apollodorum lib. II. pag. 230. Orpheum. Solinum. Diodorum Siculum, alioſque quam plurimos. Unde intelligi etiam poſſunt verba illa Firmici. *Sicut Propheta ejus nobis tradidit dicens.* Μυκταβω μυστὴκ9 ὁ κλοπὴης συώθετε πατρὸς ἀγανοῦ, quæ verba ingenioſiſſime emendavit ſummus Scaliger. Μυκήταο βοὸς μύσαι - Κύκλα βοεκλοπίης συνδείδετο πατρὸς ἀγανοῦ. Hic *Hercules boum abactor a Perſis* juxta Firmicum ſupra citatum *Mithra* vocabatur, quo nomine etiam

etiam non tantum ignem, ſed præcipue *Solem* honorabant, ſicut præter Firmicum modo citatum etiam docent Strabo lib. xv. pag. 449. ἥλιον καλοῦσι Μίθρον. Heſychius Μίθρας ὁ ἥλιος παρὰ πέρσαις; Veteres inſcriptiones. *Soli invicto Mithræ*; Tertullianus de corona militis etiam; *Sed ab aliquo Mithræ milite.* Idem de præſcriptionibus contra Hæreticos *& ſic adhuc initiat Mithræ* & lib. 1. adverſus Marcionem *Leones Mithræ philoſophantur*; & in Menæis Græcorum Domitianus Melitinæus in Armenia Epiſcopus in concione ad Perſas fatur. *Profecto potentiam fecit Deus in brachio ſuo, ſubiguntur enim leones, & dracones eliduntur, & Bel atque Mithras captivi abducuntur* (licet per *Mithram* eo in loco Venus intelligi poſſet, ut infra oſtendimus.) Et in vetuſtiſſimo epigrammate lib. 11. Poemat. & epigramm. veter. apud Onufrium Panvinium in Civitate ſua p. 149. ſcripto.

M.D.M. ID.ET.ATTIDIS.MINO TAURANI.
ARAM. III. ID. MARTI.
GRATIANO. IV. ET. MEROBAUDE. COSS.
DEDICAVIT.

ANTIQUA. GENEROSE. DOMO. CUI. REGIA. VESTÆ.
PONTIFICI. FELIX. SACRATO. MILITAT. IGNE.
IDEM. AUGUR. TRIPLICIS. CULTOR. VENERANDE. DIANÆ.
PERSIDICI. QUE. *MITRÆ.* ANTISTES. BABILONIE. SACRI.
TAURIBOLI. QUE. SIMUL. MAGNI. DUX. MYSTICE. SACRI.

Dionyſius Gothofredus Hiſtor. parte II. in Heraclio p. 446. ex Pomponii Læti Compend. Hiſtor. circa finem. *Bis* (Coſroe Perſarum Rex) *legatos* (Imperatoris Heraclii) *contempſit. Tandem ſpretis conditionibus pacis ſuperbe & contumelioſe reſpondit, ſe nunquam cum Romanis quieturum, niſi poſtpoſita & abnegata Ieſu Nazareni crucifixi religione, Mithram hoc eſt Solem, qui unicus eſt Deus, adorarent.* Luctatius Placidius Scholiaſtes Statii ad lib. I. Thebaid. *Perſæ in ſpelæis ſolem colunt, & hic Sol proprio nomine vocatur Mithra.* Porphyrius Comment. de Nympharum antro. *Primus Zoroaſtes apud Perſas*, ut narrat Eubulus, *ſpeluncam natura factam in Perſiæ montibus con-*

conſecravit, & in honorem rerum omnium authoris & parentis Mithræ, ut per ſpeluncam ſignificaret mundum a Mithra conditum. Hieronymus epiſt. ad Lætam. *Gracchus ſpeluncam Mithræ* ſubvertit. Proprie autem vocabulum hoc (ſunt verba Clariſſ. Boxhornii in epiſt. ad Nicolaum Blancardum p. 222.) *ignem* ſignificat, & κατ᾽ ἐξοχὴν *Soli* tribuitur. Et certe *Scythis*, ex quibus haud dubie Perſæ orti, cognatiſque populis *mithra dicitur ignis*; Græcis μύδρος dicitur *ferrum ignitum, globus candens, maſſa candefacta* ſive *ignita.* Ita accipitur & exponunt apud Strabonem lib. 111. Hinc Belgæ & nominatim Brabantini *de miter is in het koorn* dicunt, quando frumentum morbo laborans ab uredine comeditur & depaſcitur, quod Friſii noſtri per *miit* efferunt, cum dicant, *de mijt is in het koorn, de mijth, de moth is in de kleeren*, ſi quando tinea veſtes quaſi urendo arrodit, & pervadit. Inde etiam dicimus *ik acht hem niet een mijth*, id eſt, minoris illum facio, quam vilis blatta, & atomus, ſive corpuſculum ſolare. Hinc etiam *Phœbum* ſive *Solem Rhodii Erythibion* dicunt, quo-

niam *Erythiben* appellant ipſi, quam ἐρυσίβην alii, id eſt *rubiginem* dicunt, ſicut de Rhodiis teſtatur Cæl. Rhodiginus lect. antiq. lib. VI. cap. 7. p. 278. E. Luce igitur meridiana & liquido igne clarius ex præcedentibus conſtat, quod *Hercules boum* ille *abactor & Sol unus plane ac idem apud Scythas*, eorumque progeniem *Germanos*, *alioſque Septentrionales populos*, *atque Perſas fuerint*, unde etiam *Soli boves* conſecrantur & *adſcribuntur* ab Apollodoro lib. I. & III. Nonno lib. XV. Dionyſ. Euripide in Troad ἠλίου θ' ἁγναὶ βόες *Soliſque ſacræ boves*: aliiſque multis: & ſicut *Hercules*, ut ſupra oſtendimus ab Indis & Ægyptiis gigantis nomine & forma adorabatur, & ab Orpheo ὁ τιτὰν vocatus, & ab aliis *pro* procero & robuſto *gigante fuit habitus*, veluti ab Albrico de Deor. Imagin. de Herc. Orpheo hymn. in Herculem. Gallo in ſimulachrum Herculis in Cunis in Antholog. Nazario in panegyr. Conſtantino dicta aliiſque, ita etiam *Sol* non ſolum *Titan* (ut jam ſatis notum & vulgatum eſt,) ſed etiam *gigas* ab antiquis eſt appellatus;

ſic

ſic enim Maximus Marg. hymn. 1.

> ἅρμα φλογὸς δ᾽ ἐπέχεις
> ταχυδρόμου γίγαντος.
> *Currum igneum Gigantis*
> *Celerrimi ſtitiſti.*

Inde etiam *Chriſtus*, qui eſt Sol ille juſtitiæ, a Damaſo & Ambroſio in hymnis *gigas* dicitur; & incertus Poeta Chriſtianus in hymno de Chriſto canit.

> *Suæ* gigas *Eccleſiæ.*

Venant. Fortunatus de partu Virg. l. 1. reg. 27. ad Solem & Chriſtum alludens.

> *Hic tanquam ſponſus thalamo procedit ab alto*
> *Exſultatque gigas Chriſtus, eundo viam.*

Cap. VI.

Sol Cyrus vocatur. Ignis religioſe cultus, 2 Reg. XVII. 30. *explicatur. Pyræa & prytanæa. Mithra & Serapis, qui etiam Sol fuit, victimis humanis placati. Ezechiel illuſtratur. Thammuz ſignificatio indicatur. Curtius & Heliodorus illuminantur. Lunæ humana hoſtia cæſa. Ezaias explicatus. Iſis eodem modo propitiata.*

SOlem hunc, ſive *Herculem* Perſæ non ſolum Mithram, ſed etiam *Cyrum* antiquitus vocarunt, ut ex Herodoto probat Clariſſimus Boxhornius in

epiſtol. ſupra citata, & hinc vocabulum illud *ſchiorſteen ſchorſteen*, quod noſtra lingua focum, ſive locum, in quo ignis domeſticus accenditur & fovetur, denotat; *ſchauw* & *ſcioor*, quod Scythæ ignem interpretantur, & *ſchauwen* amburere, & *Cauſon* apud Hiſpanos febrilem æſtum ſignificans, atque Græcorum καίειν καῦσος, καυτὴρ καυτήριον deſcendiſſe opinatur, ſed ſicuti potius has voces a *Chijun*, & *Chon*, quibus nominibus Solem ſeu Herculem Ægyptii expreſſerunt, derivarem, ita nullus dubito, quin phraſis iſta a Cyro ſive Sole deducenda ſit, qua dicimus *ik acht het niet een ſyer*, id eſt, tam parvi æſtimo, ac ſi exiguum corpuſculum ſolare eſſet. Et hinc fortaſſis etiam vocabulum illud *het vyer*, quo ignem innuimus, originem trahit; nam Cyrus tam ignem denotat, quam mithra. *Ignem* autem ſive *Mithram* non ſolum *Angli*, *Germani*, *Dani*, *reliquique Septentrionales divino honore affecerunt*, ſicut apparet in legibus Canuti. *Gentilitas eſt quod quis veneretur ignem*, ſed maxime *Perſæ*: ſicut ex infinitis Authoribus probari poſſet, ſed hoc loco addu-

cere

cere ſufficit Ambroſium ad cap. IX. epiſt. I. ad Corrinth. Curtium lib. III. *aliique populi.* Quem *ignem gentiles* in Deo- rum *templis* ſcrupuloſis vigiliis *&* cuſto- diis obſervabant *& conſervabant*, ut Por- phyrius lib. II. teſtatur : *&* propterea *iſta loca* ſive *fana a Perſis* aliiſque *Pyræa* vo- cabantur juxta Theodoritum Eccleſ. Hi- ſtor. lib. IV. cap. 39. quale etiam 2 Reg. XVII. 30. per *Nergal* intelligi volunt eru- diti, cum Cuthæi qui ibi Nergal feciſſe dicuntur ex Perſis oriundi eſſent : qui- dam vero ignem & lucem verſatilem, alii gallinam ſylveſtrem per Nergal interpre- tantur. *Prytanæa* etiam dicebantur illa ur- bium *penetralia*, in quibus Deæ Veſtæ dedicatis *æternus ignis alebatur.* Nam Dio Chryſoſtomus inter ſanctiora loca ur- bium Græciæ oration. L. recenſet ἀγορὰν, πρυτανεῖον, βουλευτήριον, καὶ τὰ ἄλλα ἱερά. Quod verò *Veſtæ* erat *dedicatum* docet Naucra- tita Athenæus lib. IV. & Pindarus initio odæ II. Nemeonicar. & Scholiaſtes ad eum ; *ignem* autem *æternum in iis ali conſue- viſſe* teſtatur Olympiodorus, ſive alius in excerptis ex commentariis Procli in Phæ-

donem Platonis. Quare etiam Dionyſius Halicarnaſſeus docte *Romanorum Curias cum Græcorum Prytanæis* confert. *In omnibus vero Græciæ urbibus Prytanæa* fuerunt; nempe *Athenis*, quod, ut notiſſimum probatione non eget; inſpice ſaltem Æmilium Probum, alioſque. *Syracuſis*. Marcus Tullius contra Verrem. *Tarenti*. Athenæus. *Corinthi*. Pauſan Corinthiorum. Πρυτανείας *Rhodiorum & Mileſiorum meminit* Ariſtoteles in politicis. *Tenedii prytanæi* Pindarus in oda in laudem Ariſtagoræ. Item *Argis* teſte Æſchylo. Et *Siphnios habuiſſe* probat Herodotus in Thalia. De *Thaſiis* Theophraſtus auctor eſt libro de Odoribus. Etiam urbs *Ereſus* habuit juxta Phaniam Ereſium. De *Cyzinico Prytanæo*. Livius lib. 41. *Eleorum prytanæum* pulchrè depingit Pauſanias: *Naxiorum* meminit Parthenius cap. 18. *Epheſini*. Achilles Tatius lib. VIII. Sub *ignis cultu*, quem in ara habebant, & continuo lignorum aggeſtorum cumulo & pabulo alebant, (Maximus Tyrius cap. 39.) *Solem*, & in Sole *Deum venerabantur*, atque religioſe ſuſpiciebant *Perſæ*. Et ignem non

ſo-

ſolum, ſed maxime magnum illum ignem, nempe *Solem* ſive *Mithram divino honore Perſæ proſecuti fuerunt, cujus ſacra Mithriaca* nominata a Perſis atque Ægyptiis in *ſpelæis* juxta Tertullianum, & *in ſpeluncis atque obſcuro tenebrarum ſqualore*, veluti Firmicus loquitur, celebrabantur, quæ enarrat Porphyrius lib. IV. de abſtinentia, & ſacrificandi rationem docet Strabo lib. XV. & meminit Plutarchus in vita Pompeii p.631. C. qui Solem *non Mithram* ſed Μιθρον nuncupat. His in myſteriis *Soli* ſive *Mithræ humanum cruorem libare, & homines immolare* ſolenne fuit non ſolummodo Perſis, ſed maxime *Ægyptiis*, de quibus Socrates Hiſtor. Eccleſiaſticæ. lib. III. cap. 2. ita loquitur. *Alexandriæ forte fortuna ex ejuſmodi principio tumultus exortus eſt. Locus erat in ea civitate jam ab antiquis temporibus deſertus & neglectus, multaque ſordium colluvione redundans: in quo ritibus & ceremoniis in honorem Mithræ celebratis, homines pro victimis ſacrificare gentilibus mos erat. Iſtum, utpote jam antea nulli uſui inſervientem Eccleſiæ Alexandrinæ addixit Conſtantius. Georgius autem habens in animo Ec-*

cleſiam ibi ædificare, locum purgari jubet. Quo purgato adytum repertum eſt ingentis altitudinis, in quod gentilium myſteria recondebantur. Ubi etiam erant multæ hominum calvariæ, *cum* adoleſcentum, *tum* ſenum, quos *fama eſt, olim cum gentiles divinationibus, quæ per exta inteſtinaque fiebant, utebantur, magicaſque obirent victimas., quo hominibus aciem animorum perſtringerent*, mactatos *fuiſſe. Quibus rebus in adytis* Mithræ *repertis &c.* Sed ibi non homicidia vera in ſacrificiis iſtis facta fuiſſe putat Ælius Lampridius in Commodo pag. 72. *Sacra Mithriaca homicidio vero polluit, quum illic aliquid ad ſpeciem timoris vel dici vel fingi ſoleat.* Sed dici poteſt, quod, cum a multo tempore adyta iſta humano ſanguine impiari deſiiſſent cruentas illas immolationes Commodus in integrum reſtituerit. Sed inhumanus hic mos omnino exſpiravit, ex quo Hadrianus legem per univerſum imperium Romanum tulit, qua omnes penitus ἀνθρωποθυσίαι ſunt vetitæ: ſicut Porphyrius lib. 11. de abſtinentia ab eſu animalium narrat ex Pallante, qui de Mithræ myſteriis accuratiſſime ſcrip-

ſcripſerat. De iis iterum Socrates Hiſtor. Eccleſ. lib. v. cap. 16. pag. 290. *Quam authoritatem* (a Theodoſio) *nactus Theophilus, nihil prætermiſit, quod ad gentilia myſteria contumelia & dedecore afficienda ſpectaret: ſed delubrum Mithræ gentilibus ſuperſtitionibus perpurgare, Serapidis demoliri*, cruenta Mithræ myſteria *palam ludibrio exponere, & quam ridicula eſſent tum Serapidis, tum aliorum oſtendere aggreditur*, &c. Serapidem autem iſtum Ægyptiorum Deum tantum nomine tenus a Mithra Perſarum diſcrepare, ſignificatione vero una cum eodem Solem ſive Herculem complecti & indicare opinor, tum, quod Martianus Capella in nuptiis dubio procul per Serapim Solem intelligat, quum ita canit.

Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Oſirim.

Et Macrobius, ſicut Iſidem terram, ita Oſirim Solem interpretetur, qui Oſiris cum Serapide plane unus ac idem eſt, ſicut in ſuperioribus ſatis probatum eſt, tum quod bos Serapidi (qui & Apis Ægyptiorum erat) ſacer habebatur, quem etiam Mithræ ſive Soli & Herculi dedica-

tum fuiſſe ſupra vidimus. Hunc *Serapidem* eodem *humanarum victimarum ſanguineo cultu Ægyptii conciliare ſibi ſtuduerunt*, *velut* Ruffinus Eccleſ. Hiſtor. lib. 11. cap. 24. his verbis ſatis oſtendit. *Poſt hæc capite ipſo idololatriæ dejecto* (Sirapis ſtatua) *ſtudiis vigilantiſſimi Sacerdotis quæcunque fuerant per totam Alexandriam portenta potius quam ſimulachra, pari exitu & ſimili dedecore publicantur. Horret animus dicere, quam miſeris mortalibus laquei a Dæmonibus præparati ſunt, quæ funera, quæ ſcelera in illis, quæ dicebant* ἄδυτα, *tegerentur, quot ibi infantium capita deſecta inauratis labris inventa ſint.* Quot miſerorum cruciabiles mortes *depictæ. Nam ut omittam cætera flagitia, quæ in aliis locis* vi necatis parvulis, *deſpicatiſque ob fibrarum inſpectionem virginibus gerebantur*. Unde etiam *Serapidis adyta* Rufinus Eccleſiaſt. Hiſtor. lib. 11. cap. 27. *flagitiorum cavernas* vocat. *Et nihil non geſtum eſt, quod in ſqualorem verteret locum, flagitiorum cavernæ ac veternoſa buſta* (Serapidis nempe) *dejecta ſunt, & veri Dei templa Eccleſiæ celſa conſtructa. Nam & in Serapis ſepulchro prophanis ædibus complanatis, ex uno latere martyrium, ex altero con-*

conſurgit Eccleſia. Multi eruditi ſtatuunt, eundem *Serapidem* ſive *Oſirin* apud Ezechielem, cap. VIII. vers 14. per *Thammuzum intelligi*, ubi Propheta ita fatur. *Et deduxit me in atrium domus Iehovæ, quæ eſt ad Aquilonalem tractum; ecce autem mulieres ſedebant deflentes Thammuzum.* Ratio & deſtina hujus opinionis inde petitur, quod *Oſyridem ab Ægyptiis Ammuz dictum* fuiſſe Plutarchus in libello de Iſide & Oſyride, & Herodotus lib. II. affirmant. Hic autem *Thammus* ſive *Ammuz* ſine dubio *fuit* decantatus ille *Jupiter Hammon*, umbilico tenus arieti ſimilis, cujus inter plurimos etiam meminit Q. Curtius lib. IV. Hiſtor. Alexand. pag. 55. Qui non alius fuiſſe videtur, quam ipſe *Oſyris* ſive *Sol*, quoniam *ei nemus & fontem conſecratum eſſe* Curtius dicit, *quem* incolæ per deſertum & regionem iſtam diſperſi, *Solis aquam* nuncupant. *Thammuzum* ſive *Amuzum* hunc, quem Jovem Ammonem fuiſſe probavimus, præter alios Divus Hieronymus & Cyrillus ad Ezai. VIII. 14. *Adonidem*, qui *Thamus* vocatus eſt; alii *Bacchum* interpretantur.

Con-

Conſulantur de hoc Philaſtrius lib. de hæreſibus, Pagninus. Kimchi ad Ezech. cap. VIII. Maimonides Nevochim lib. III. pag. 29. *Mulieres* autem *flentes* Sacerdotes Iſidis impudiciſſimæ fuiſſe creduntur, quæ phallos & ithyphallos geſtantes non modo publica lupanaria, ſed eorum vice domum Jehovæ cum Oſiridis miniſtris, incolebant. Et ſicut *Oſiris* re vera *Sol* ſive *Hercules* erat, ita etiam *Iſis Oſiris uxor pro Cerere* ſive *terra* habetur, veluti Plutarchus in libello de Iſide & Oſyr. probat. Hinc Heliodoro Æthiop. lib. I. lux non exigua fœneratur οἱ μὲν γὰρ θεὰν Ἄρτεμιν, ἢ τὴν ἐγχώριον Ἶσιν. *Quidam enim Deam quandam eſſe ducebant, & Deam quidem Dianam, aut ejus loci genium Iſin.* Huic *Cereri* ſive *Iſidi*, cui ſicut Oſiridi, *ſacer erat bos*, Libanius laud. Bovis, & *gallus*. Porphyrius lib. IV. de abſtinent. *Heraclidæ* etiam *hominem immolaverunt*. Euripid. in Heraclid. *Lunæ* etiam *humanas hoſtias cædere* conſueverunt *Æthiopes*; Heliodorus lib. X. & *Albani circa Caucaſum habitantes*; Rhodiginus lib. XVIII Lect. Antiq. cap. 27. p. 1018. Hanc Deum Σιλήνην vocabant

Sa-

Sabæi; Hottingerus lib. 1. cap. 8. de orig. Sabæorum p. 184. Hanc etiam per *mene* idolum Mercatorum, de quo Ezaiæ v. c. 6. 11. recte explicari poſſe autumo, licet alii fatum, alii Mercurium, alii planetas, alii ſtellarum numerum interpretentur, ſicut etiam adhuc in nova Guinea incolæ ſtellas ſuo idiomate *maemetiæ* vocant. Hinc derivari poſſet dies Lunæ; apud Noſtrates nominata *Maandag*, *moondey*, *moendag*, *mendag*.

Cap. VII.

Mars Victimis humanis cultus. Firmicus defenſus & excuſatus contra Salmaſium: Mars Αρης *vocatur, &* Ερτωοι, Αρης: *liber Levitici, Regum & Jeremias illuſtrantur. Plutarchus & Laertius tentantur & explicantur. Mars dicitur As: 2 Regum capitis* XVII. *verſus* 30. *a Seldeno deſperatus explicatur. Aſſyr etymologia. Feſtus illuſtratus. Nonnus tentatur. Saxonum origo. Significatio ſaxæ; Oromazen, Jazdan.*

IN *Marte honorando piacularium harum victimarum ſanguine ſe inceſtarunt Cyprii*, Prodromus lib. VIII. *Thebani.* Apollodorus lib. III. Philoſtratus in Iconibus

lib.

lib. I. Euripides in Phæniſſa. Pauſanias lib. IX. p. 674. *Lacedæmonii.* Fulgentius de vocibus antiquis. Theodoretus ſerm. VII. *Scordiſci.* Ammianus lib. XXVII. p. 710. *Gothi.* Jornandes rerum Getic. cap. V. p. 19. *Galli.* Cæſar de bello Gall. pag. 133. lib. VI. *Friſii.* Schotanus in deſcript. Friſiæ. *Martem* hunc *Deum ab Ægyptiis* πυρόεις dictum vult Firmicus lib. II. cap. II. & vetus Auctor de dierum ad numerum & nomina planetarum inſtitutis appellationibus. Horum opinionem & verba incomparabilis Salmaſius in libro de annis Climactericis *ut ridicula, & vanis, id eſt ſuis authoribus digna* immerito & ſine cauſa explodit. Nam eorum dicta hac ratione defendi poſſunt, quod *ſtellam Martis alii Herculis eſſe voluerunt.* Ut Hyginus Plinius. Macrobius Saturnal. lib. III. cap. 12. Achilles Statius in prælegom. Arati p. 89. *Herculem* autem illum veterem Græco illo Hercule longe antiquiorem *fuiſſe Solem* ſive πυρόεις πῦρ antea multis probavimus. Sed hic unicuique ſuam opinionem relinquemus. Idem *Mars ab Ægyptiis* vocabatur ἔρτωσι juxta

Ce-

Cedrenum de Martis ſtella dicentem; καλεῖται δὲ Αἰγυπτιακῶς ἔρτωσι. Valens de Planetarum coloribus loquens *Martem Ægyptiis* Ἄρτην dictum fuiſſe ſcribit; ita loquens Αἰγύπτιοι γὰρ καὶ ἄρτην αὐτὸν προσηγόρευσαν. Veteres Sabæi & Arabes illum etiam coluerunt, ſicut Bernardus de Breidenbach ex Petro Alphonſo oſtendit, & Sabæi *Hermin*, vel ut Hottingerus corrigere tentat; *Arim* Ἄρην vocarunt. Hottingerus de vet. rell. Sabæorum in Hiſtor. Oriental. lib. I. cap. 8. p. 184. Quod ſi ita ſit, conſtat, & *Cananæos & Iſraelitas, alioſque Marti etiam liberos ſuos in holocauſtum combuſſiſſe*, (de quo vide Levit. XVIII. 21. & XX. 2, 3, 4. 2 Reg. XXIII. 10. Jerem. XXXII. 35.) nam in lexico Ægyptiaco in Planetarum nominibus Ἄρης Ægyptiace vocatur Μολοχ. Hunc eundem *Martem* fuiſſe credo, quem *Perſæ* nomine *Arimanium* adorarunt, de quo Plutarchus in Iſide & Oſiride atque Diogenes Laertius in præfat. libri de vit. Philoſoph. Hinc etiam veriſimile videtur deſcendiſſe vocem *Amarmunnes*, quo omnes ſuos Reges appellarunt Saraceni, ſicut teſtatur

Zo-

Zonara tom. III. pag. 122. quod Autor fortal. fid. lib. IV. p. 171. nuncupat nomine *Miramumoim*. Apud *Septentrionales* populos a Sabæis Deum hunc lucratos. *As* pro *Are* vocabatur, teſte Arngrimo, Hinc lucem haud exiguam mutuatur locus ille 2 Regum XVII. 30. ubi mentio *idoli Hemathæorum* nomine *Aſchima* injicitur, quod quale fuerit Doctiſſimus Seldenus in libro de Diis Syris ſe ignorare ingenue fatetur. Hic autem *Aſchima* nihil aliud quam ipſe *Mars* fuiſſe videtur, cum componatur ex *As*, quo Mars, ut ſupra demonſtravi, exprimitur, & *ſchemah*, quod audiens vel obediens denotat. Ab *As* Marte fortaſſe originem ſuam derivavit vocabulum apud Romanos notum nec inuſitatum *Aſſir*, cujus etymologiam nuſquam inveni, quo Latini *ſanguinem* exprimebant, & *Aſſiratum*, teſte Pomp. Feſto *potionem ex ſanguine & vino mixtum* ſignificabat. Nam hæc vox *Aſſyr* compoſita videtur ex As, quod Martem denotare diximus, & Sir Cir ſive Cyrus, quo nomine Perſæ Solem nuncupabant, ſicut ſupra in ſacrificiis humanis Soli oblatis vidi-

vidimus, & cum Solem & Herculem, de quo ſupra, nomine eundem plane Deum fuiſſe veriſimile ſit, ſicut ſupra p. 71. indicavimus, non mirum eſt, quod ſanguis a Deo iſto, quem epitheto ſanguinolenti inſigniunt Authores, nomen traxerit, et aſſyr vocatus fuerit. Hunc eundem fuiſſe *As* ſive *Martem* credo, cui Nonnus lib. III. Dionyſ. nomen indidit *Διὸς Ἀσβύστο* *Iovis* ſive *Dei Aſbyſtæ.* Hic *As* ſive *Mars* inter Deorum maximos per totam Germaniam & Scythiam celebrabatur, & originem ſuam Sabæis, & Phænicibus ſive Syris, imo ipſi Aſkenæ tanquam primo authori debere videtur, qui Japheti filii Noachi nepos & Gomeri filius fuit, atque magnam Europæ & Septentrionis partem peragraſſe, coloniſque ditaſſe apparet; Nec hoc uſque adeo mirum eſt, quod hoc vocabulum As Mars Syris originem ſuam debeat, & apud Germanos notum fuerit, cum & alia nomina hodierno die in uſu ſunt, quæ Syriacam antiquitatem & originem redoleant; & ut exemplum proponam, Syri gentili ſermone ciſternam, in qua frumentum, ſive

aliquid aliud recondebatur *cubam* vocabant, ut videre licet apud Georgium Majorem in vita Patrum, vita Pauli Eremitæ fol. 52. Et quid aliud quæſo eſt *cuba*, quam quod nos patrio idiomate *een kuype* dicimus & efferimus. Ab hoc *As* ſive *Marte*, aut *Aſkena* vel *Aſceenaz* (quem, cum forte bellicoſus & fortis eſſet, poſteros poſt mortem in Deorum numerum retuliſſe & præfeciſſe bellis credibile eſt,) originem ſuam Dani, Normanni, Swevi, & Funni magnæ Schaniæ ſive Scandziæ incolæ, atque etiam Friſones noſtri originem ſuam ſortiti fuiſſe creduntur; nam non tantum apud iſtos Septentrionis populos hujus nominis atque viri rudera & monumenta reſtare videntur, qualia ſunt *Aſkers*, *Aſſen*, *Aſſ*, *Aſbeſio*, *Aſkero*, *Aſcanes*, quod Sacerdotem denotat, forte eum, qui Martis operabatur ſacris, & *Aſke ſund*, quod Martis aquam ſignificare ex eo adſtrui poſſet, quod *Su* antiquis Scythis aqua erat, ſicut adhuc apud Turcas Scytharum ſobolem eandem vim retinet, ut ex lexico Turcico apparet, hinc *ſee*, *ſunt*, *ſuntvloet*, *ſoc*, *ſueet*,

ſu-

ſuſen aliaque; ſed etiam apud noſtros olim Friſios, qui Principem nomine *Aſinga Aſcon* habuere, & in Drentia antiquiſſimus ille pagus *Aſſen*, & alibi, *Eſken*, *Aſcheburg Aſcherleben* &c. recenſentur, quæ omnia vocabula vel ab *As* ſive Marte & *Aſcheenaz*, vel ab *Aſinga Aſcon* deſcendiſſe probabile eſt, qui ob virtutem bellicam hoc nomen forte reportaverit, quod vocabula, ex quibus vox illa conſtruatur As Martem, & Chon Herculem, ſive Solem apud Ægyptios denotant, ut in prioribus oſtendimus. Quin etiam dicere ſuſtineo, quod veriſimile ſit, ab hoc Aſkeno filio Gomeri (a quo Cimbri ſive Scythæ oriundi) Japeti nepote, & Noachi abnepote, ejuſque poſteris Saxones & Heſſos fuiſſe plantatos, illiſque nomen Saxonum & Saxoniæ & Heſſiæ indidiſſe: nam *SaxHas*, *Hes*, *Es*, *As* in pronuntiatione & literarum poſitione non multum a nomine *Aſch*, *As*, *Aſk*, *Hes*, ſive *Heſus* (qui idem ille Mars fuit) aberrant, unde etiamnum hodie Anhaltini Comites Principes Aſcaniæ appellantur. Alii tamen Saxonum originem ad Saronem Wandali fratrem re-

referunt. Iſidorus ita nominatos eſſe ait a *ſaxea natura*; Origin. lib. IX. cap. 2. quem in hoc Hroſvitha nobilis fæmina & Poetria ſequitur.

Ad claram gentem Saxonum nomen habentem
A ſaxo, per duritiem mentis bene firmam.

Krantzius Cattos eorum autores ſtatuit. Multi nomine hoc Saxonum dotatos & donatos autumant, quod parvos, quos gerebant, pugiones ſive cultros *Saxas* vocarent, ſicut patet ex verſu apud Engelhuiſium & Gotfriedum Viterbenſem parte. XV.

Ipſe brevis gladius apud illos ſaxa vocatur,
Unde ſibi Saxo nomen traxiſſe putatur.

Withikindus, alias Widuchindus, & Windighinus, qui temporibus Ottonis II florens Saxonum geſta conſcripſit, in libro. I. Saxones a Saxis iſtis nomen deducere etiam teſtatur. Quod vero *Saxonum cultri* ſive gladioli *ſaxæ* fuerunt vocati, probat etiam Galfredus Monumetenſis lib. VI. Reg. Brit. cap. 15. pag. 46. *Hengiſtus* (Saxo, qui a Rege Vortigirno ex Germania in Britanniam vocatus eſt) *nova proditione uſus, commilitonibus ſuis præcepit,*

t

ut unus quiſque longum cultrum *intra caligas abſconditum haberent. Et cum colloquium ſecurius tractarent Britones, ipſe eis hoc daret ſignum:* Nemet oure Saxas; *unde quiſque paratus adſtantem Britonem occuparet, atque abſtractis cultris ocyus ipſum jugularet. &c.* Quidam, qui de Sancto Annone Colonienſium Epiſcopo Germanico idiomate carmina ſcripſit, ita canit. *Daz ſi michili mezzir biezin* ſahs. *Ut Pragrandes cultros* Saxas *vocarent*; & paulo poſt.

Von den mezzerin alſe wahſin
Wurdin ſi geheizzin Sahſin.

Vide gloſſarium doctiſſimi viri Johannis Meurſii. Inde *Oſterſachs, ſica Paſchalis,* qua feſtis diebus cingebantur. Göli, citante Goldaſto.

Bint das Oſterſachs zer zegen, ſiten.

In gloſſis, quas Celeberrimus Vir Juſtus Lipſius ex quodam vetuſto pſalterio temporibus Ludovici & Karoli filiorum Ludovici Pij ſcripto, annotavit, ita habetur, *Scarſahs, novacula,* Gloſſæ aliæ citante Opitio. *Flebotomum blodſachs.* Flexio hujus vocis *As* perſuadet mihi, ut credam, tum, quod Perſarum *Oromazen,*

quo nomine ex duobus principiis bono &malo, quæ colebant, prius exprimebant, quod Arabes *Iazdan* vocant; tum *Hercules Thaſius* a Phænicibus & Tyriis cultus, idem ille *As* Germanorum ſive *Mars* fuerint, aut ab Aſcheno Gomeri filio nomen traxerint.

Cap. VIII.

Heſus humanis hoſtiis honoratus, qui Mars fuit. Lucanus explicatus. Veſtergang erratum notatum. Odinus & Vodanus qualis Deus? Voßius notatus. Immolandi ritum ex Aſia in Septentrionem Othinus traduxit. Mercurius Woden vocatus, & humano ſanguine cultus. Sol Choda dictus. Diaconus a Lipſii correctione aſſertus. Arabum Deus Vodda. Teutates. Lucanus illuſtratus, & Cicero. Teutates placatur humana victima. Demſterus & Althamerus conciliati. Plato illuſtratus. Germanorum origo. Jovi humana victima immolata. Jupiter Belus, Baal, Anamelech, & Thor vocatur & Taranis, cuj ſanguis humanus libatus. Lucanus explicatus.

HEſum illum, (qui apud Lucanum lib. 1. Pharſal. dicitur

Horenſque feris altaribus Heſus,

& apud Lactantium *a Gallis humano cruore placatus olim* fuiſſe legitur) non alium, quam ipſum *As* ſive *Martem* eſſe, veriſimile videtur: quod & eo magis credo, quia, quem Romani *Heſum* extulere, is Germanis abſque terminatione Romana fuit *Hes*, *Hæs*, *Es*, *As*, unde Martis diem *Hiſeſdagh*, & contracta *Hyſzdagh* appellatum vult eruditiſſimus Voſſius l. 11. cap. 23. de Idololat: Orig. licet illam feriam ex *Thiſa*, vel *diſa*, quæ in Hiſtoria Norvegica Juſtitiæ Dea eſt, Johannes Waſthovius in præfat: ad vitas Sanctorum deducat, unde apud Friſios noſtros hic dies *Thyſdey* appellatur. Maxime autem mea quidem opinione errat Richardus Veſtergang, quod *Tiuzdagh* originem, ut vocat, ad Tuiſconem referat; nam Tuiſcon non Mars ſed Mercurius eſt, ſicut infra liquet. Hunc *Martem* quidam *Othinum*, *Vodanum*, *Wodan*, *Odinum*, *Gwodan* a Septentrionis accolis fuiſſe nominatum jurant, eo quod armatus cum enſe ſculpebatur, & bella adminiſtrare fingebatur, velut oſtenduntSaxo Grammaticus circa finem l. 11. & Clariſſimus Lindenbrogius

in notis ad Warnefridum p. 342. hanc opinionem ſovent præter Saxonem, Steph. Stephanii lib. VII. Notar. in Saxonem. Hiſtoria Norvegica in principio. Olaus Magnus, Albertus Krantzius in præfatione l. 1. Sueciæ. Alii autem *Othinum* ſive *Odinum*, *Vodanum*, *Gwodan*, *Mercurium* faciunt, in quorum ſententiam & ipſe propendeo (licet Clariſſimus Voſſius id neget lib. 1. cap. 7. de Idololatria) Opinionis autem meæ fidicen eſt, tam quod ea forſitan de cauſa *Germani Deorum maxime Mercurium coluerint, eique certis diebus humanis quoque hoſtiis litare fas habuerunt*; Tacitus in Germania p. 635. quia ab illo profanam ſuam religionem, tanquam a primo authore & fonte hauſerunt, eumque primum ſuum Deum receperunt; *Othinus* autem eſt, quem primum, cum ex Aſia *furvas has hoſtias* & abominabilem Deorum cultum cum *Fro* in Septentrionales plagas traduxiſſet, pro Deo coluerunt. Saxo lib. III. Wormius lib. 1. cap. 5. Monument. Danic. quam præſertim, quod Hengiſtus Saxonum vel Friſiorum Princeps in

An-

Angliam cum frequenti popularium manu traijciens coram Rege hæc verba fecit. *Deos Patrios Saturnum, Iovem, atque cæteros, qui mundum gubernant, colimus, maxime autem* Mercurium, *quem* woden *lingua noſtra appellamus, huic veteres noſtri dicaverunt quartam ſeptimanæ feriam, quæ uſque in hodiernum diem nomen* wodenſdai *de nomine ipſius ſortita eſt.* Galfredus Monumetenſis l. VI. cap. 10. Hiſtor. Brittan. p. 43. Cui in hoc adſtipulantur Richardus Veſtergan & Johannes Waſthovius in præfat: ad vitas Sanctor. Hunc *Longobardi Gwodan* appellabant, & tota Germania adorabat, Warnefridus lib. 1. cap. 8. Hiſtor. Longobard. *totus orbis noſcebat.* Johann. Waſthovius ad vitas Sanct. *Septentrionaleſque populi, Galli, & Germani ei humanas* vel *inhumanas victimas cædebant*, ſunt verba M. Felicis in Octavio p. 91. adde Tacitum in Germania p. 635. & Tertullianum Apolog. cap. 9. *Major ætas apud Gallos Mercurio proſecatur.* Plures autem Othinos ejuſdem nominis fuiſſe refert M. Brynoldus Suenonius Scalholtenſis Epiſcopus; unde colligere licet, & Martem & Mercurium

ſub nomine Othini forte in Germania cultos fuiſſe, & hac ratione quæſtio & diſcordia illa, cujus ſupra meminimus, facili negotio conciliabitur. Eſt autem *Othinus*, *Oode* vel *Oden*, *Gwoden*, *periculum pernities*. Unde etiam hodie *Oden* pro *Diabolo* uſurpari cœpit, ut in imprecandi formulis: *Oden eigedig*, *Odinus te poſſideat*. *Far dutil Odens*, *vade ad Odinum*, *ſive in malam rem*, *&c.* ſicut Olaus Wormius monument. Danicor. lib. 1. cap. 4. ait. A quo longiſſime diſſentit Celeberrimus vir Gerhardus Voſſius lib. 1. de Idololatria cap. 7. *Vodan ſive Voden eſt idem ac* Guoden *ſive* Gvode, *pro quo* Gode *vel* God *nunc dicimus*, *&* Vodan, Gvodan, Godan; *ex quo* κατ' ἀποκοπὴν eſt God, κατ' ἀφαίρεσιν Dan, *unde Dani dicuntur*. Quod ſi ita ſit, ut Voſſius exiſtimat, adiicere poſſum, quod hæc vox aut a Scythis, aut a Perſis profluxerit: illi enim *Deum*, qui apud ipſos *Sol* erat, *Choda* dicebant, ſicut Ægyptii *Solem Chon* nominabant, forſitan in honorem Noachi filii *Cham*, unde nomen *Ghode* apud noſtrates. Sed obiter hic corrigendus eſt Clariſſimus Lipſius, qui

in

in notis ad Tacitum, in Paulo Diacono lib. 1. pro *Wodam* emendat *Wondam* vel *Wonſtam.* Nam & Paulus Diaconus *Mercurium Wodam*, & alii, quos ſupra citavi, *Woden*, *Gwoden*, *Vodan*, *Odin* nominant; nuſquam vero *Wondam* ſive *Wonſtam* occurrit, ſed de eo altum ubique ſilentium. Hic *Vodan*, ſicut arbitror, idem eſt, quem Arabes viri forma & nomine *Vodda* coluerunt, de quo Hottingerus de rel. Arab. vet. in Hiſtor. Oriental. lib. 1. cap. 7. Hunc cum idolo Sevaha mulieris forma, Jaguth leonis; Jauck equi, Neſer aquilæ ſpecie depicto filiis Caini ad formam Kabel & filiorum ejus Sathan effinxiſſe dicitur a Keſſæo de vitis Patrum pag. 17. & Arabiæ incolæ hæc Numina religioſiſſime venerati ſunt, ſicut teſtatur Beidavi p. 962. *Mercurius* hic, ſive *Vodan* & *Vodda vocatus* fuit & *Tiis*, Anglis *Teves*, Latinis *Teutas*, de quo Lucanus Pharſal. lib. 1. vers. 443.

Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Teutates; horrenſque feris altaribus Heſus.

Quidam *Teutanes* legunt, ut Nicolaus Turius Hiſtor. Herulorum lib. 1. cap. 7.

ubi addit. *Multi Mercurium interpretati ſunt;* in quo nihil diſſidet Cæſar lib. VI. Alii *mortis Deum.* Hunc Cicero l. 3. de Nat. Deorum *Ægyptios Theyr vocare* aſſerit, qui hand dubie *Tyr* fuit, quo nomine *Odini filium* Septentrionis gentes expreſſerunt. Faſt. Danic. cap. 5. Hinc patet non ipſum *Mercurium Tyr* exſtitiſſe, ſed potius ejus gnatum, cujus nomen Gentilium conſilia ita occæcavit, eiſque impoſuit, ut Mercurium umbrarum & mortuorum ad inferna deducendorum Viatorem creaverint. *Tentanes* dicitur *Mercurius* ab Annio Viterbienſi in lib. V. Beroſi Babylonii, cui cognomentum ſacrificus ritus indidiſſet, quod eos redderet pallentes, qui ſibi gratis (a Germanis) immolabantur. Nam *Teutatem diro hominis immolati ſanguine placatum* fuiſſe, præter Lucanum modo allegatum Lactantius docet lib. VII, qui *Gallis* ſcelus hoc impingit; cui ſuccenturiatur Demſterus Paral. ad cap. IX. lib. II. Roſini antiquit. Roman. qui hoc ſacrificium a Lucano *Teutati* adſcriptum ad *Gallos* trahit, licet Andræas Althamerus in Commentar. ad Tacitum de mor. German.

man. *Germanis* illud attribuat, quod utrumque cum ſale defendi poteſt, cum conſtet, & Gallos & Germanos Mercurio diabolicis his victimis adulatos fuiſſe; quem *Tuiſcona* vocat Huldrichus Huttemus in panegyrico Alberi Mogunt. Epiſc.

Cernis & Alcidem, junctoque Tuiſcona Manno
Et Maja genitum?

Non piaculum committerem, ſi dicerem, Numen hoc Germanorum *Tuiſcon*, *Tiis*, *Teves*, *Teutas*, *Tiir*, incunabula ſua ad Ægyptios referre debere, quibus circa Naucratim inter priſcos Deos dæmonium nomine *Theuth* venerabile fuit, cui ibin avem conſecrarunt, veluti teſtis eſt Plato in Phæd. Imo veriſimile videtur, ab hoc *Tuiſcone*, qui forte aut fuit *Thira* ſeptimus Noachi filius, aut *Twiſco Tuiſco* ab eruditis pro *Aſchenas* ſobole habito, Germanos originem & nomen accepiſſe, *Theutſen*, *Duytſen*, *Theutsland*, quem defunctum divino honore dignati fuerint. *Idem* abominabile ſacrificium *in Jovis cultu primas tenuit*, nam ut Philargyrius in 2 Georg. p. 8. loquitur, *Buſiris Ægypti Rex*

 omi-

omnibus annis Iovi hoſpites immolavit; idem ſcribunt Hyginus fab. xxxI. Apollodorus lib. II. biblioth. p. 104. Juſtinus cohortat. ad Græcos. Freculphus Chron. l. II. cap. 9. Iſocrates in laudat. Buſiridis. Oroſius lib. v. cap. I. Servius in III. Georg. pag. 120. & in VIII. Æneid. pag. 504. *Idem facinus* etiam *Lycaon Arcadiæ Rex* perpetravit, de quo ita Pauſanias lib. VIII. pag. 534. *At hic* (Licaon Arcadum Rex (*ad* Jovis *Licai aram infante mactato humanum ſanguinem libavit.* Sic *Achai Iovem Aphyſtium his inhumanis hominum immolationibus ſuſpexerunt*; Herodotus lib. VII. pag. 436. *Iovem Ihomitem Meſſenii.* Cyrillus contra Julianum. *Iovem Dialem Cypri incolæ.* Prodromus lib. VIII. & *Romani*, Auguſtinus de Civitate Dei pag. 206. lib. III. c. 27. *Iidem Iovem Latialem*; Athanaſius contra gentes pag. 21. Tatianus contra Græcos pag. 287. Prudentius lib. II. contra Symmach. pag. 374. M. Felix in Octavio pag. 21. Porphyrius lib. 2. pag. 35. Tertullianus adverſus Gnoſticos cap. 7. Theophilus ad Autolyc. lib. I. pag. 267. Porphyrium adde lib. II. ubi

idem

idem crimen *Megapolitanis* adſcribit, Ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν, τίς ἀγνοεῖ κατὰ τὴν μεγάλην πόλιν τῇ τοῦ λατιαρίου Διὸς ἑορτῇ, σφαζόμενον ἄνθρωπον. *Sed etiam hodie quis neſcit circa Megalopolim in Latiarii Iovis feſto hominem mactatum.* Eundem cultum *Lycurgus Iovi Hoſpitali* præſtitit. Nonnus lib. ult. *Iovem* autem in Sacra Scriptura per *Baalem exprimi* vult Epiphanius, & Agathia Scholaſticus commemorat Hiſtor. lib. 11. *Perſas Iovem* βῆλον nominare: unde etiam *Iupiter Belus* apud Plinium *occurrit*; & Philo Biblius refert, *Iovem Olympium*, qui in inſula Tyri colebatur, a *Phænicibus Beelſamen*, id eſt, cœli Dominum dici. Vocatur etiam *Baal-berith* in Sacris Bibliis, quod Dominum fœderis denotat, quem quidam apud Romanos *Iovem lapidem*, aut *Conſum Subterraneum* fuiſſe exiſtimant. Sunt etiam qui putent, quod per *Anameleh* 2 Reg. XVII. 31. idem Jupiter innuatur, eo quod vox illa ex ana potens, & Melech, ſive Moloch Rex ſit conflata. Hic *Iupiter* nomine *Thor* ſive *Thori* Septentrionalibus populis notus & familiaris erat, ut videre eſt ex hiſtoria Olai Craſſi, & cum diali Jovis

ſceptro exſculptus fulmina, ventos; tonitrua, & fruges curare & adminiſtrare a majoribus noſtris dicebatur, ut annotat Clariſſimus Lindenbrogius in notis ad Paulum Warnefridum p. 342. hinc ſeptimanæ feria quinta *Torzdag* apud *Saxones* originem ſuam traxit. Richardus Veſtergan, & Johannes Waſthovius in præfat. ad vit. Sanctor. & apud *Friſios* noſtros *warnſdey* appellatur. Non deſunt etiam, qui putant *Lucanum* per *Taranem*, *Thor* ſive *Iovem* Septentrionalium gentium indicare, cum ita Pharſal. lib. 1. canat.

Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Quod ſi ita eſt, *Saxones* & *Septentrionis populos Thorum* ſuum, ſive *Iovem hominum immolationibus* etiam *leniviſſe* conſtat. Ab hoc *Thoro*, ſive *Thor* forte *Niodur* nomen accepit, qui Norvegiæ primus Monarcha divino cultu honoratus eſt. Arngrimus Crymog. lib. 1. cap. 4. & 7. Dici etiam poſſet, quod hic *Thor* ſive *Iupiter*, *Thira Iapeti* filius exſtiterit, quem veſanus Gentiliſmus Deis adſcripſerit, & pigreſcente tandem vera religione cruentis hoſtiis honoraverit.

Cap. IX.

Veneri hoſtiæ humanæ ſacrificatæ. 1 *Reg.* xv. 13. *explicatur. Varia ejus nomina. P. Nannii lapſus. Venus barbatus. Macrobius illuſtratus. Venus hermaphroditus. Philoſtratus illuſtratus; ut etiam prolixe explicatur Epiſt. Pauli ad Roman.* xi. 4. *Coronus correptus. Venus Luna. Luna Deus, androgynus, & generis communis. Illuſtratur Strabo, & Ezaias. Mercurius Hermaphroditus. Salmaſii Lapſus. Urania generis maſculini. Herodianus illuſtratus & correctus. Spartianus explicatur. Illuſtrantur Apulejus & Lucianus. Plutarchus, Fulgentius & Nonnus. Illuſtratur Curtius, Statius, Ovidius, Lucianus, Capella, Menæa Græcor. Lucianus, Philoſtratus, Plutarchus, Stobæus, Curtius, Apulejus, Euſebius. Nonnus. Venus Beltha.*

V*Eneri* etiam antiquis temporibus *hominum occiſione ſacrificatum eſt* apud *Ceraſtas*; Ovidius Metamorph. lib. x. p. 291. & inter *Scenetas Naames* eodem ſacrificio Venerem coluiſſe videtur. Evagrius Hiſtor. Eccleſ. lib. vi. pag. 608. cap. 21. *Per id temporis Naamanes gentis Scenetarum Tribunus gentilis, adeo nefarius &*

ſceleratus, ut propria manu homines Dæmoniis ſuis mactaret, ad ſanctum acceſſit baptiſmum, ſtatuamque Veneris auream igne liquefactam pauperibus erogavit. Eadem *Venus* in Bibliis Sacris innuitur per *Miphlezeth*, 1 Reg. xv. 13. quod Hieronymus quæſt. in paralip. *Priapum*, Theodoretus *Aſtarten*, id eſt *Venerem* interpretatur. Et quod Hieronymus Priapum explicet, non uſque adeo abſurdum eſt, cum Venus apud Septentrionales populos cum Priapo depingebatur. Huic *Veneri humanum* etiam *ſanguinem* idololatras *Iudæos libaſſe* veriſimile videtur. *Hæc* a populis *Septentrionis* tractus *Frecco* dicebatur, & ut dixi, *cum priapo exſculpebatur*, teſte Lindenbrogio in notis ad P. Warnefridum. Hiſtor. Longobard. p. 342. Hæc *paci & voluptati præſidens inter Majores Deos Thor & Odinum etiam claſſem ducebat*; Johannes Waſthovius in præfat. ad vitam Sanct. atque *Dearum potentiſſima laudatur* a Galfredo Monumetenſi lib. VI. cap. 10. p. 43. Hiſtor. Britann. Appellabant *eam Longobardi Frecco*, *Friſii Frea*, alii *Frigga*, *Frigo*, *Fricco*, *Friga*; & ab ea ſextam ſeptimanæ feriam nomine *Frige-*

dag,

dag, *Frydag*, Anglico idiomate *Frydaye*; Friſico *Freed* tinxerunt & illuſtrarunt: vide GuilhelmumCamdenum; Galf. Monumetenſem loco ſupra indicato, Richardum Veſtergan, Johannem Vaſthovium, alioſque. Hinc vocabula illa Belgica: *Frouwe fœmina*; *froen ſtulta, impudica*; *fryen ambire puellam, amare*; *Fryder amaſius*; *Frydſter, amaſia*; & Anglica *Frendly*, antiquo Saxonico idiomate *Freondlice dilectus*, & Gothicum illud antiquum *Fraiw ſemen.* Fruſtra igitur eſt, quod Petrus Nannius hanc Veneris diem in Miſcellaneis ſuis ex græco ἀφροδίτης derivet. Hujus *Frejæ Othinum maritum* fuiſſe vult Saxo lib. 11. circa finem. Hujus etiam meminerunt Albertus Krantzius in præfatione libri primi Sueciæ, & Olaus Magnus, & cum Othini ſive Martis uxor, & ſcortationibus celebris haberetur, ſine dubio eſt *Romanorum pollens Deus Venus barbatus*, de quo Macrobius Saturnal. lib. III. c. 8. *Apud* Calvum Acterianus *affirmat legendum*

Pollentemque Deum Venerem

non Deam. *Signum etiam ejus eſt Cypri barbatum corpore, ſed veſte muliebri cum ſceptro*

ac

ac ſtatura virili, & putant eandem marem & fœminam eſſe. Ejus meminit & Philochorus in Atthide. Nam *Frico* vel *Freio illa* Septentrionalium *Venus in genere maſculino* ponitur, & á Richardo Veſtergang *hermaphroditicus* nuncupatur. Hunc *Deum Venerem barbatum* Ariſtophanes Ἀφρόδιτον, non Ἀφροδίτην vocat; Philoſtratus lib. IV. cap. 7. de vita Apollonii per τῇ θεῷ, ſicut opinor, exprimit. Ita autem ſe habent verba. Δοκεῖτέ γάρ μοι περιιόντες ἔπειτα τὰ παναθήναια πέμπητε, μηδὲ βοῦς ἔτι, ἀλλ᾽ ἑκατόμβας ἀνθρώπων καταθύσειν τῇ θεῷ. *Videmini enim mihi cum feſta, quæ Panathenaica dicitis, celebraveritis, non boves in ſacrificio, ſed homines mactare (fœminæ Deo)*: quæ duo ultima verba interpres, cum Philoſtrati mentem, quid per τῇ θεῷ vellet, non aſſequeretur & caperet, omiſerat, & ego, ut neceſſario debent, præcedenti textui appoſui. Ex his præcedentibus illuſtrari poſſet verſus 4. cap. XI. epiſtolæ Pauli ad Romanos. *Feci ut remanſerint mihi ſeptem millia virorum, qui non flexerunt genu Baali.* τῇ βαάλ, ubi *Baal* tribuitur articulus fœminini generis. Coronus hic textum Græcum corruptum eſſe

eſſe ait, & pro articulo τῇ, τῷ legendum aſſerit, quod procul a Sacræ Scripturæ infallibilitate exulat. Alii τῇ δυνάμει *potentiæ*; alii τῇ δαμάλει *vitulæ Baalis* ſupplent, cum & in loco Apoſtoli, & ex quo ille tranſcriptus eſt 1 Reg. XIX. 18. de vitulo a Jeroboam invecto agitur. Beza cum Eraſmo ſupplevit εἰκόνι, id eſt, *imagini*; unde etiam latina verſio habet, *qui non flexerunt genu Baalis imagini*. Doctiſſimus Seldenus *ſexum in Numinibus Gentilium confuſum fuiſſe* ſtatuit in Divino opere de Diis Syris, & *Baal tum maſculino tum fœminino genere commemoratum a* Septuaginta Interpretibus notat. Qua loci hujus explicatione ſicut acquieſcere licet, cum ſemper a novaturiendi ſtudio abhorream, & Eruditorum authoritatem ſartam tectam velim, attamen non gerras germanas & πολλὰ λυγρὰ καὶ πολλὰ ἐσθλὰ eſſe exiſtimo, ſi dicamus, quod Apoſtolus Paulus ibi intelligat *Germanorum Deam Frejam hermaphroditum*; ſive, quod idem eſt, Ariſtophanis Ἀφρόδιτον, nempe ſicut Macrobius interpretatur, *Romanorum Deum Venerem*. Cui opinioni eo magis fidem habeo, quod Philochorus

rus in Attide *eundem Deum Venerem* ſive *Αφρόδιτον Lunam eſſe* affirmat. *Luna* autem non tantum fœmineo ſexu & *genere*, ſed etiam *maſculino* antiquitus *exprimebatur*. Audiamus Spartianum in Caracalla p.130 A. *Et quoniam Dei Luni fecimus mentionem, ſciendum doctiſſimis quibuſque id memoria traditum, atque ita nunc quoque a Carrenis præcipue haberi, ut qui Lunam fæmineo nomine ac ſexu putaverit nuncupandum, is addictus mulieribus ſemper inſerviat, at vero qui Marem Deum eſſe crediderit, is dominetur uxori, nec ullas muliebres patiatur inſidias*. Summus Caſaubonus in notis ad hæc verba rationem hujus varietatis reddit, nempe quod *Lunæ nomina & virilis, & fæminei generis in linguis orientis habeantur, nam in omnium antiquiſſima Iudaica lechana* θηλυκόν, at Chaldæorum *ſihara fæmineum*. Arabibus *Luna* eo nomine effertur, quæ præ ſe fert *formam maſculinam*. Strabo *maſculum hunc Deum* non per Σελήνην *lunum*, ſed Μηνὸς (quod proprie denotat menſem) expreſſit, lib. XII. Georg. cum Μηνὸς *non alium eſſe a luna* declaret his verbis Strabo ἔστι δὲ καὶ τοῦτο τῆς Σελήνης τὸ ἱερόν. Hinc lux affundi videtur verſui 11. cap.

LXV. Ezaiæ. ubi fit mentio *Meni*, quod proprie numerum donotat, & quod alii exiſtimant fatum, alii *planetas*, alii *numerum ſtellarum*, alii *idolum mercatorum*, ſive *Mercurium* fuiſſe. Ego autem vocis ſimilitudine perſuaſus *Deam* ſive *Deum Lunum*, ſive *Lunam* cum ſale explicari poſſe arbitror, qui a Strabone, ut vidimus etiam *Meni* vocatur. Licet autem & illorum ſententiæ fidem detrahere nolim, qui *Mercurium* hic interpretantur, qui etiam κοινὸς vel ἐπίκοινος quaſi *hermaphroditus* effigiatur & exprimitur teſte incomparabili Salmaſio in lib. de annis Climactericis p. 175. Quanquam incomparabilis hic vir manes ſuos etiam hoc in loco patitur, quando dicit, quod Luna, Venus fœminæ ſunt, *Sol Mars, Iupiter* (planetæ) *maſculi. ſolus Mercurius* κοινὸς *&c.* cum contrarium ex prioribus & ſequentibus patet: unde *hermaphroditos procreari* fabuloſa credidit Antiquitas, cum ἡ Ἀφροδίτη εἰ μετὰ τοῦ Ἑρμοῦ συνοδεύσει; *Venus* (forte *illa Androgynus*) *cum Mercurio congredietur*: ſunt verba Luciani Philopat. t. IV. *pag.* 480. Eandem generis varietatem obſervavimus in Cœleſti, ſive *Vrania* Carthagi-

ginienſium, aliorumque *Afrorum*: nam cum pro Dea plerique omnes haberent *Vraniam*, ut ex Herodoto, Tertulliano, Euſebio aliiſque multis conſtat, Salvianus lib. VIII. de Providentia Dei, aliique tamen non Deam ſed *Deum* fecerunt. *Cæleſtem* autem illam, ſive *Vraniam eandem eſſe cum Luna, & Lunam cum Venere* probatur tum ex Macrobio, qui lib. I. Saturnal. cap. 17. ſcribit, *omnes Deas in Gentiliſmo ad Lunam eſſe relatas*, & ſub Lunæ nomine comprehenſas; tum ex Herodiano lib. V. in vita Baſſiani ſive Heliogabali. λίβυες αὐτὴν Οὐρανίαν καλοῦσι, φοίνικες δὲ Ἀστροάρχην ὀνομάζουσι σελήνην εἶναι θέλοντες. *Afri Vraniam vocant, Phænices Aſtroarchen* (corrige Ἀστάρτην *Aſtarten*) *Lunam eſſe affirmantes*: At *Aſtarte* eſt *ipſiſſima Venus*, ut poſtmodum probabimus. Quin etiam ex verbis Spartiani ſupra citatis clareſcit & patet, Lunum illum *androgynum ipſum Deum Venerem eſſe*, cum *conjugio* & nuptiis *praeeſſe* legatur, & *in maritos & uxores imperium tenere* credatur, quod *ſolius Veneris* & *Iunonis officium* apud Æthnicos fuiſſe ſcimus. Deinde hæc mea ſententia, quod *Venus, Luna & Vrania*, quibus

bus etiam accedit *Diana*, *non ſint aliæ atque aliæ, ſed eadem Dea*, expeditur & fulcitur ab Apulejo, qui lib. IX. Mileſ. pag. 841. 842. *Ægyptios ſub Dea ſua Syra Cererem, Dianam, Proſerpinam ſive Lunam, & Venerem ſimul complecti, intelligere & efferre* autor eſt, *quam* ultimam *Venerem* cum emphaſi *Cæleſtem* voçat, quo acute *Deam Vraniam* ſive *Cæleſtem Syrorum unam & eandem Venerem* fuiſſe innuere videtur; adeo ut hæc duo Apuleii verba non ita ante, quid ſibi vellent, cuivis obvia, ex his quæ de Venere diximus, clare jam intelligantur, & ἀλάνθινον φέγγος accipiant. Et Lucianus in Dea Syria pag. 782. de ea ita loquitur. Ἥρη ἐστί. ἔχει δέ τι καὶ Ἀθηναίης, καὶ Ἀφροδίτης, καὶ Σεληναίης, καὶ Ῥέης, καὶ Ἀρτέμιδος, καὶ Νεμέσιος, καὶ Μοιρέων, *Iuno eſt. Cæterum habet quippiam & Minervæ, & Veneris, & Lunæ, & Rhee, & Nemeſis, & Parcarum: ac altera quidem manu ſceptrum tenet, altera autem colum, & in capite radios gerit & turrim & ceſtum habet, quo ſolam Venerem cognomento Cæleſtem* (Οὐρανίην) *exornant*. Ex hoc Luciani loco jam etiam vides, quod *Vrania ipſa Venus* eſt, cum ſola Venus ceſto ſuperbiat:

& hinc patet, *Iunonem*, *Deam Syriam*, *& Iſidem* ſive *Cererem non alias a Venere Deas ſed eandem fuiſſe Venerem*, pro diverſis operibus ei attributis varia nomina ſortitam; eo quod *Veneris ſtellam* alii *Iunonis eſſe voluerunt*. Timæus Locrus de anima mundi pag. 12. Hyginus lib. II. Aſtronom. Alii *Iſidis*; alii *Matris Deum* ſive *Deæ Syriæ*; inſpice Plinium lib. II. cap. 8. alioſque auctores. Hinc forſitan etiam cum emphaſi Plutarchus in libello de ſuperſtione pag. 170. *Deam Syriam Deum vocat*, dicens Συρίαν θεὸν in maſculino genere, non in fœminino genere θεάν, ut ita exprimat Deæ etiam iſtius naturam hermaphroditicam: licet non ignarus ſim, quod vox Græca θεὸς ſit generis communis, & tam de Dea quam de Deo dicatur, ſicut apud Syneſium, Platonem lib. I. de Republica, Homerum Iliad. A. Demoſthenem in init. Orat. pro Corp. alioſque. Sed hoc ex iſto amphibio & duplici ſexu Dearum originem habuiſſe, autumo, cum alias Græco idiomate Dea vocetur θεὰ, ſicut Deus θεὸς. Et ſicut hic ſupra videmus, & *Iunonem*,

quod

quod nomen Ἥρη ſatis indicat, *Venerem*, & *Venerem* ſive *Lunam Rheam* etiam *fuiſſe*, ita quoque a veritate non alienum videtur, quod *Germanorum Freja*, ſive *Frea Venus*, *ab Ægyptiorum & Syrorum Rhea originem adipiſcatur*, unde in noſtra lingua Belgica *Frydagh*, de quo ſupra. Quod autem *Diana* etiam *ipſa Venus fuerit*, præter ea, quæ ex Luciano & Apulejo depromſimus, ipſum ejus nomen id ſuggerit, nam eam indicans Ἀρτέμιδι βρυχοὶ dicit Apollonius Rhodius in Argonaut. quod deſcendiſſe videtur a verbo βρύειν *ſcateo*, *ſcaturio*, *pullulo*, & *pubeſco*, item *germina emitto*, hinc ἔμβρυον *infans utero concluſus*, & ἔμβρυος adjective genitalis vel *prolificus* juxta Theophraſtum lib. 1. de cauſis pl. cap. 1. Quidquid de hac re ſit, ſatis ſuperque ex ſuperioribus demonſtravimus, *Venerem illum deum*, ſive Ἀφρόδιτον eſſe *Lunum* ſive *Lunam*, atque adeo apud Phœnices & Ægyptios *Iunonem* ſive *Deam Syriam*. Quod autem *hic Deus pollens Venus*, ſeu, quod idem eſt, *Luna* ſive *Iuno* apud prædictos populos *non* alius, *ſed ipſe Sol exſtiterit*, probabile eſt; tam quod Heliopoli (quæ eſt

ci-

civitas in Ægypto a Sole denominata, cui Sol præſidebat) *Iunoni* antiquitus *homo fuit mactatus.* Porphyrius lib. II. quod *ſacrificium* in eodem loco *Soli oblatum fuiſſe*, ſi bene meminimus, alibi legimus, *quem τὸν τῆς Ἀνθρωποκτονίας νόμον. mactandi ritum Amaſis Rex Ægypti* ibi *abrogavit* & ſuſtulit; quam etiam quod ſicut in Sacra Scriptura Baalis (quem Solem fuiſſe oſtendimus & fuſius infra oſtendemus) Sacerdotes crudelibus cultris in corpora ſua ſævientes ſanguinem ſuum illi libarunt I Reg. XVIII. 28. ita etiam Deæ Cybelæ, ſive quod idem eſt Veneris ſacris initiati & galli vocati cruentis vulneribus Deorum Matri litarunt, de quo prolixius in particulari capite. Sed præcipue *Solem* ſive *Belum non alium, ſed omnino Venerem fuiſſe* inde conſtat, quod *in Dea Syriæ* (quæ una & eadem erat cum Venere & Luna, ſicut ſupra probatum eſt) apud Ægyptios in templo intra ſepta *paſcebantur boves, equi, aquilæ, urſi, leones illi Deæ conſecrati*; Lucianus lib. de Dea Syr. pag. 789. & expreſſe *equos* illi *ſacros* fuiſſe Valerius Flaccus Argonaut. l. V. verſu 288. dicit; quæ animalia, ſi non om-

omnia, quædam tamen Soli gentilitas conſecravit, ſicut ſuo loco adductis Authorum teſtimoniis ſufficienter docuimus. Imo *ipſe Apollo* in eodem templo oracula reddens *barbatus* ibi conſpiciebatur, & *depingebatur*; Lucianus de Dea Syr. pag. 785. & *Sol barbatus ab Hieropolitanis colebatur*; teſte Fulgentio in Mytholog. & a Nonno lib. XL. Dionyſ. Ἀστερόεσσαν ὑπήνην *Stellatam barbam alens & habens deſcribitur*. cum alias *communi conſenſu Solem ſine barba pingunt*, ſunt verba German. Cæſaris in Arati Phænom. Comment. & ſic Lucianus in Jove Tragædo, & ruſus in Icaromenippo *Apollinem* ἀγένειον *imberbem*; Callimachus in hymno Apollinis περιθήβην, & Arnobius lib. V. *glabrum* delineant. Et *quis* quæſo *alius erat ille Sol* ſive *Apollo barbatus, quam Freja barbata Dea Germanorum*, ſeu *Venus Deus Romanorum? cujus Veneris ſimulachri barba prolixa horripilantis ſuperior lumbis pars maris ſpeciem, fæmineam inferior præ ſe ferebat, teſte* Suida. Quæ noſtra de Venere opinio eo argumento, ut mihi videtur, non ſubventaneo etiam nititur, quod *Mithra*, de cujus ſignificatione ſu-

pra egimus, non tantum apud Perſas pro Sole, ſed etiam apud Ægyptios teſte Herodoto *pro ipſa Venere haberetur*, cum dicat lib. I. Ἀσσύριοι τὴν Ἀφροδίτην Μυλίττα, Ἀράβιοι δὲ Ἀλίττα, πέρσαι δὲ Μίτραν. *Vocant Aſſyrii Venerem Melitta, Arabes Alitta, Perſæ Mitram.* Hinc vero Quintus Curtius lucem commodans explicari & intelligi poteſt lib. IV. *Solem & mithram, ſacrumque & æternum ignem invocans.* Nam ibi ex fide codicum *mithram* legendum eſt, non vero *Martem*: Eo in loco primo fit mentio *Solis*, deinde *mithræ*, tertio *ignis*; ex quo colligi poſſe videtur, ibi *mithram* non ipſum *Solem*, ſed *Lunam* ſive *Venerem* potius fuiſſe: & P. Statius Thebaid. lib. I. *Mithram Solem* & *Mithram Lunam* ſive *Venerem idem Numen fuiſſe*, ſicut opinor, *innuere videtur* his verbis.

Seu te roſeum Titana vocari
Gentis Achæmeniæ ritu, ſeu præſtat Oſyrim
Frugiferum, ſeu Perſæi ſub rupibus antri
Indignata ſequi torquentem cornua Mithram.

Nam *cornua* proprie *Lunæ attribuuntur.* Ovidius Epiſt. II. Phyll. Demop.

Cor-

Cornuacum lunæ pleno ſemel ore coiſſent.

Sedulius Scotus lib. I.

Qui Solem radiis, ac Lunam cornibus imples.

M. Lucanus lib. V. p. 595.

Seu Phœbum videat, ſeu cornua Lunæ.

Valer. Flaccus lib. IV. Argonaut.

Plenæ referentem cornua Phœbes.

Unde etiam Nonnus in Dionyſiac. lib. VIII. dicit & canit. βοῶν ἐλάτειρα σελήνη. *Boum agitatrix luna*; quod epitheton etiam *Soli* ſive Herculi datum fuiſſe ſupra cap. V. oſtendimus. Hinc *taurus utrique ſacer* olim habebatur, *qui* etiam *Lunæ* antiquitus in ſacrificium immolabatur. Et ſicut notum eſt, quod *Ægyptiorum Iſis fuerit Ino* a Jove, ſicut fabulantur Poetæ, compreſſa, quæ ut Junonis indignationem effugeret, ſub tauro latitans varios terrarum tractus permenſa in Ægyptum venerit, ubi, tauro in cœlum ſublato, & inter Zodiaci ſigna relato, pro Dea Ægyptii Inonem colere cœperunt; ita etiam ex Luciano & Ovidio patet, quod *Apis* ille *Ægyptiorum Deus*, qui *ſub imagine bovis* ſive *vaccæ*, ſive *in ipſo vivo & candido bove* ab illis adorabatur, *non*

 alius

alius fuerit, *quam ipſa Ino* ſive *Iſis ab Ægyptiis etiam Deæ forma adumbrata.* Sed audiamus Ovidium Faſtor. lib. v. p. 111.

Taurus init cœlum. (Sub quo nempe Ino latitaverat)

Hoc alii ſignum (Zodiaci) *Phariam dixere juvencam*,

Quæ bos ex homine eſt ex bove facta Dea.

Lucianus de Aſtrologia etiam opinionem eam fulcit. καὶ μὴν καὶ ταῦρον ἐς τιμὴν τοῦ ἠερίου ταύρου σεβίζονται. καὶ ὁ Ἄπις αὐτοῖς χρῆμα ἱερώτατον τὴν χώρην ἐπινέμεται, καὶ οἱ ἐκεῖ μαντήιόν τε ἀνατιθέασι, σημήιον τῆς ἐκείνου τοῦ ταύρου μαντικῆς. *Quem taurum etiam* (*Ægyptii*) *ob honorem cæleſtis tauri* (ex Zodiaci ſignis) *colunt. Nam apis apud illos res inprimis ſacra regionem ſortitus eſt. Et qui jam incolunt partem oraculum quoque dicarunt*, *ſignum videlicet divinationis*, *quam a cæleſti tauro petunt.* Et ſicuti *Ino* ſive *Iſis ipſa Ceres*, atque adeo *Venus fuit*, ſicut ſuo loco ſatis probatur, ita etiam *Apem Ægyptiorum*, *nomine mithræ* ſive *Solis* antiquitus *fuiſſe expreſſum* docet Martianus Capella in Nuptiis Mercurii & Philologiæ.

Hunc (nempe Solem) *Phœbum perhibent*

pro-

prodentem occulta futuri,
Vel quia diſſolvis nocturna admiſſa Iſæum,
Te Serapin Nilus, Memphis veneratur Oſyrim,
Diſſona ſacra Mitram, Ditemque feruntque Typhonem
Atys pulcher item, curvi & puer almus aratri
Ammon & arentis Libyes, ac Biblius Adon,
Sic vario cunctus te nomine convocat orbis.

Obſerva hic etiam, quod Capella *Solem* ſive *Mithram* inter alia nomina *Iſæum* quoque nuncupat, quod haud exigua deſtina & firmamentum eſt opinioni meæ ſubfulciendæ inſerviens, ſcilicet quod *Apis* ſive *Sol fuerit cum Iſide* ſive *Venere idem Numen*; & ex omnibus, quæ ſupra ſcripſimus luculenter conſtat; *Mithram Solem* ſive *Apem* omnino *eundum fuiſſe cum Mithra Venere ſive Luna*, atque adeo *utriuſque & dubii ſexus, hermaphroditum* ſcilicet. Unde etiam forſitan hodie quidam Indiæ populi Diabolum prominentibus cornibus tremendum, barba virili hiſpidum, & fœmineo pudendo androgynum depin-

 gunt,

idem eſt) *Iunoni* ſive *Veneri* adſcribere & vendicare videtur de Syr. Dea pag. 792. Nam *hoc feſtum*, ſicuti loquitur, ἑοτίων πασέων μεγίςην οἱ δὲ λάμπαδα, οἱ μὲν πυρὴν καλέυσι. *Omnium feſtorum maximum alii lampadem, & facem, alii pyram vocant.* Idem *feſtum*, *in quo*, teſte Luciano, *Dea iſti Syriæ* cæteriſque dæmoniis *magna brutorum vis*, *necabatur* & ex arboribus ſuſpendebatur, Philoſtratus in vita Apollonii lib. 1. cap. 7. exponit, innuit & meminit, atque παναθλωαια vocat, cum ita dicat. Δοκεῖ τέ γάρ ϖεθιόντες ἐπειπὰ τὰ παναθλώαια πέμπετε μηδὲ βοῖς ἔτι, ἀλλ' ἑκατόμβας ανθρώπων τυπυθύσειν ΤΗ ΘΕΩ. *Videmini enim mihi, cum feſta, quæ Panathenaica dicitis, celebraveritis, non boves in ſacrificio ſed homines mactare (fæminæ Deo).* Et quid quæſo aliud per τῇ θεῷ intelligitur, quam vel *ipſa Dea Venus* ſive ἀφροδίτης, *cum qua eadem Iuno* ſive *Syria eſt*, quæ veluti τὸ πᾶν *omne*, *omnes reliquas Deas* nempe *Cererem*, *Dianam*, *Proſerpinam*, *Lucinam*, *& Lunam nomine ſuo comprehenſas contineat?* cum in eo prædicto *ſacro* non modo oves, & capræ Pani dedicatæ mactarentur, ſed etiam omnium brutorum

ge-

genera reliquis Deabus ſacra. Hæc etiam, ut opinor, cauſa fuit, quod ſicut Philoſtratus *Deam Syriam maſculino genere* & articulo fœminino τῇ θεῷ *expreſſit*, ita etiam Plutarchus *illam eodem genere poſitam dixerit* Συρίαν θεόν. Et quod magis eſt, *Minerva* (quam Iſidem cognominabant,) quæ etiam una ac eadem cum Venere erat, & etiam ſimul ſub Dea Syria comprehendebatur, ejuſque nomine efferebatur, ut docuimus ſupra ex Luciano de Dea Syria & Apulejo, *illa*, inquam *Minerva Iſis*, nomine πᾶν *Pan ſignificabatur*, nominabatur, & gaudebat. Stobæus ſerm. 42. p. 306. ex Serino. Τὸ δὲ ἐν σαί ἀθηνᾶς ἣν ἶσιν νομιζουσιν ἕδος, ὑπεργεγραφὴν εἶχε τοιαύτην. ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὄν, καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς πωθνητὸς ἀνεκάλυψεν. *Quin & Minervæ, quam Iſidem cognominant, quod in Sai eſt ſimulachrum, talem inſcriptionem habebat. Ego ſum omne quod fuit, quod eſt, quod erit, & peplum meum nemo mortalium revelavit.* Dicitur autem *omne* πᾶν, *quod eſt, quod fuit, quod erit*, quia (ut ſæpius jam diximus nec repetere piget,) Dea Syria (quæ hæc Iſis erat) ſuo

ſceleratus, ut propria manu homines Dæmoniis ſuis mactaret, ad ſanctum acceſſit baptiſmum, ſtatuamque Veneris auream igne liquefactam pauperibus erogavit. Eadem *Venus* in Bibliis Sacris innuitur per *Miphlezeth*, 1 Reg. xv. 13. quod Hieronymus quæſt. in paralip. *Priapum*, Theodoretus *Aſtarten*, id eſt *Venerem* interpretatur. Et quod Hieronymus Priapum explicet, non uſque adeo abſurdum eſt, cum Venus apud Septentrionales populos cum Priapo depingebatur. Huic *Veneri humanum* etiam *ſanguinem* idololatras *Iudæos libaſſe* veriſimile videtur. *Hæc* a populis *Septentrionis* tractus *Frecco* dicebatur, & ut dixi, *cum priapo exſculpebatur*, teſte Lindenbrogio in notis ad P. Warnefridum. Hiſtor. Longobard. p. 342. Hæc *paci & voluptati præſidens inter Majores Deos Thor & Odinum etiam claßem ducebat*; Johannes Waſthovius in præfat. ad vitam Sanct. atque *Dearum potentiſſima laudatur* a Galfredo Monumetenſi lib. VI. cap. 10. p. 43. Hiſtor. Britann. Appellabant *eam Longobardi Frecco, Friſii Frea*, alii *Frigga, Frigo, Fricco, Friga*; & ab ea ſextam ſeptimanæ feriam nomine *Frige-*

dag,

dag, *Frydag*, Anglico idiomate *Frydaye*; Friſico *Freed* tinxerunt & illuſtrarunt: vide Guilhelmum Camdenum; Galf. Monumetenſem loco ſupra indicato, Richardum Veſtergan, Johannem Vaſthovium, alioſque. Hinc vocabula illa Belgica: *Frouwe fæmina*; *froen ſtulta*, *impudica*; *fryen ambire puellam*, *amare*; *Fryder amaſius*; *Frydſter*, *amaſia*; & Anglica *Frendly*, antiquo Saxonico idiomate *Freondlice dilectus*, & Gothicum illud antiquum *Fraiw ſemen*. Fruſtra igitur eſt, quod Petrus Nannius hanc Veneris diem in Miſcellaneis ſuis ex græco ἀφροδίτης derivet. Hujus *Frejæ Othinum maritum* fuiſſe vult Saxo lib. II. circa finem. Hujus etiam meminerunt Albertus Krantzius in præfatione libri primi Sueciæ, & Olaus Magnus, & cum Othini ſive Martis uxor, & ſcortationibus celebris haberetur, ſine dubio eſt *Romanorum pollens Deus Venus barbatus*, de quo Macrobius Saturnal. lib. III. c. 8. *Apud* Calvum Acterianus *affirmat legendum*

Pollentemque Deum Venerem

non Deam. Signum etiam ejus eſt Cypri barbatum corpore, ſed veſte muliebri cum ſceptro

ac

ac ſtatura virili, & putant eandem marem & fæminam eſſe. Ejus meminit & Philochorus in Atthide. Nam *Frico* vel *Freio illa* Septentrionalium *Venus in genere maſculino* ponitur, & á Richardo Veſtergang *hermaphroditicus* nuncupatur. Hunc *Deum Venerem barbatum* Ariſtophanes Ἀφρόδιτον, non Ἀφροδίτην vocat; Philoſtratus lib. IV. cap. 7. de vita Apollonii per τῇ Θεῷ, ſicut opinor, exprimit. Ita autem ſe habent verba. Δοκεῖ τὲ γάρ μοι περιϊόντες ἐπειτὰ τὰ Παναθήναια πέμπητε, μηδὲ βοῖς ἔτι, ἀλλ' ἑκατόμβας ἀνθρώπων καταθύσειν τῇ Θεῷ. *Videmini enim mihi cum feſta, quæ Panathenaica dicitis, celebraveritis, non boves in ſacrificio, ſed homines mactare (fæminæ Deo)*: quæ duo ultima verba interpres, cum Philoſtrati mentem, quid per τῇ Θεῷ vellet, non aſſequeretur & caperet, omiſerat, & ego, ut neceſſario debent, præcedenti textui appoſui. Ex his præcedentibus illuſtrari poſſet verſus 4. cap. XI. epiſtolæ Pauli ad Romanos. *Feci ut remanſerint mihi ſeptem millia virorum, qui non flexerunt genu Baali.* τῇ βαάλ, ubi *Baal* tribuitur articulus fœminini generis. Coronus hic textum Græcum corruptum

eſſe ait, & pro articulo τῇ, τῷ legendum aſſerit, quod procul a Sacræ Scripturæ infallibilitate exulat. Alii τῇ δυνάμει *potentiæ*; alii τῇ δαμάλει *vitulæ Baalis* ſupplent, cum & in loco Apoſtoli, & ex quo ille tranſcriptus eſt 1 Reg. xix. 18. de vitulo a Jeroboam invecto agitur. Beza cum Eraſmo ſupplevit εἰκόνι, id eſt, *imagini*; unde etiam latina verſio habet, *qui non flexerunt genu Baalis imagini*. Doctiſſimus Seldenus *ſexum in Numinibus Gentilium confuſum fuiſſe* ſtatuit in Divino opere de Diis Syris, & *Baal tum maſculino tum fœminino genere commemoratum a* Septuaginta Interpretibus notat. Qua loci hujus explicatione ſicut acquieſcere licet, cum ſemper a novaturiendi ſtudio abhorream, & Eruditorum authoritatem ſartam tectam velim, attamen non gerras germanas & πολλὰ λυγρὰ καὶ πολλὰ ἐσθλὰ eſſe exiſtimo, ſi dicamus, quod Apoſtolus Paulus ibi intelligat *Germanorum Deam Frejam hermaphroditum*; ſive, quod idem eſt, Ariſtophanis Ἀφρόδιτον, nempe ſicut Macrobius interpretatur, *Romanorum Deum Venerem*. Cui opinioni eo magis fidem habeo, quod Philochorus

rus in Attide *eundem Deum Venerem* ſive Ἀφρόδιτον *Lunam eſſe* affirmat. *Luna* autem non tantum fœmineo ſexu & *genere*, ſed etiam *maſculino* antiquitus *exprimebatur*. Audiamus Spartianum in Caracalla p.130 A. *Et quoniam Dei Luni fecimus mentionem, ſciendum doctiſſimis quibuſque id memoria traditum, atque ita nunc quoque a Carrenis præcipue haberi, ut qui Lunam fæmineo nomine ac ſexu putaverit nuncupandum, is addictus mulieribus ſemper inſerviat, at vero qui Marem Deum eſſe crediderit, is dominetur uxori, nec ullas muliebres patiatur inſidias.* Summus Caſaubonus in notis ad hæc verba rationem hujus varietatis reddit, nempe quod *Lunæ nomina & virilis, & fæminei generis in linguis orientis habeantur, nam in omnium antiquiſſima Iudaica lechana* θηλυκὸν, at Chaldæorum *ſihara fæmineum*. Arabibus *Luna* eo nomine effertur, quæ præ ſe fert *formam maſculinam*. Strabo *maſculum hunc Deum* non per Σελῆνον *lunum*, ſed Μηνὰ (quod proprie denotat menſem) expreſſit, lib. XII. Georg. cum Μηνα *non alium eſſe a luna* declaret his verbis Strabo ἔστι δὲ καὶ τοῦτο τῆς Σελήνης τὸ ἱερόν. Hinc lux affundi videtur verſui II. cap:

LXV. Ezaiæ. ubi fit mentio *Meni*, quod proprie numerum donotat, & quod alii exiſtimant fatum, alii *planetas*, alii *numerum ſtellarum*, alii *idolum mercatorum*, ſive *Mercurium* fuiſſe. Ego autem vocis ſimilitudine perſuaſus *Deam* ſive *Deum Lunum*, ſive *Lunam* cum ſale explicari poſſe arbitror, qui a Strabone, ut vidimus etiam *Meni* vocatur. Licet autem & illorum ſententiæ fidem detrahere nolim, qui *Mercurium* hic interpretantur, qui etiam κοινὸς vel ἐπίκοινος quaſi *hermaphroditus* effigiatur & exprimitur teſte incomparabili Salmaſio in lib. de annis Climactericis p. 175. Quanquam incomparabilis hic vir manes ſuos etiam hoc in loco patitur, quando dicit, quod Luna, Venus fœminæ ſunt, *Sol Mars, Iupiter* (planetæ) *maſculi. ſolus Mercurius* κοινὸς *&c.* cum contrarium ex prioribus & ſequentibus patet: unde *hermaphroditos procreari* fabuloſa credidit Antiquitas, cum ἡ Ἀφροδίτη εἰ μετὰ τοῦ Ἑρμοῦ συνοδεύσει; *Venus* (forte *illa Androgynus*) *cum Mercurio congredietur*: ſunt verba Luciani Philopat. t. IV. *pag.* 480. Eandem generis varietatem obſervavimus in Cœleſti, ſive *Vrania Carthagi-*

ginienſium , aliorumque *Afrorum* : nam cum pro Dea plerique omnes haberent *Vraniam* , ut ex Herodoto, Tertulliano, Euſebio aliiſque multis conſtat, Salvianus lib. VIII. de Providentia Dei, aliique tamen non Deam ſed *Deum* fecerunt. *Cæleſtem* autem illam, ſive *Vraniam eandem eſſe cum Luna, & Lunam cum Venere* probatur tum ex Macrobio, qui lib. I. Saturnal. cap. 17. ſcribit, *omnes Deas in Gentiliſmo ad Lunam eſſe relatas*, & ſub Lunæ nomine comprehenſas; tum ex Herodiano lib. V. in vita Baſſiani ſive Heliogabali. λίβυες ἀυτὴν Ουρανίαν καλοῦσι, φοίνικες δὲ Αστροάρχην ὀνομάζουσι σελήνην εἶναι θέλοντες. *Afri Vraniam vocant, Phœnices Aſtroarchen* (corrige Ἀστάρτην *Aſtarten*) *Lunam eſſe affirmantes*: At *Aſtarte* eſt *ipſiſſima Venus* , ut poſtmodum probabimus. Quin etiam ex verbis Spartiani ſupra citatis clareſcit & patet, Lunum illum *androgynum ipſum Deum Venerem eſſe* , cum *conjugio* & nuptiis *praeeſſe* legatur , & *in maritos & uxores imperium tenere* credatur , quod *ſolius Veneris* & *Iunonis officium* apud Æthnicos fuiſſe ſcimus. Deinde hæc mea ſententia, quod *Venus, Luna & Vrania*, quibus

bus etiam accedit *Diana*, *non ſint alia atque alia, ſed eadem Dea*, expeditur & fulcitur ab Apulejo, qui lib. IX. Mileſ. pag. 841. 842. *Ægyptios ſub Dea ſua Syra Cererem, Dianam, Proſerpinam* ſive *Lunam*, & *Venerem ſimul complecti*, *intelligere & efferre* autor eſt, *quam* ultimam *Venerem* cum emphaſi *Cæleſtem* vocat, quo acute *Deam Vraniam* ſive *Cæleſtem Syrorum unam & eandem Venerem* fuiſſe innuere videtur; adeo ut hæc duo Apuleii verba non ita ante, quid ſibi vellent, cuivis obvia, ex his quæ de Venere diximus, clare jam intelligantur, & ἀλάνθινον φέγγος accipiant. Et Lucianus in Dea Syria pag. 782. de ea ita loquitur. Ἥρη ἐστί. ἔχει δέ τι καὶ Ἀθηναίης, καὶ Ἀφροδίτης, καὶ Σεληναίης, καὶ Ῥέης, καὶ Ἀρτέμιδος, καὶ Νεμέσιος, καὶ μοιρέων, *Iuno eſt. Cæterum habet quippiam & Minervæ, & Veneris, & Lunæ, & Rheæ, & Nemeſis, & Parcarum: ac altera quidem manu ſceptrum tenet, altera autem colum, & in capite radios gerit & turrim & ceſtum habet, quo ſolam Venerem cognomento Cæleſtem* (Οὐρανίην) *exornant*. Ex hoc Luciani loco jam etiam vides, quod *Vrania ipſa Venus* eſt, cum ſola Venus ceſto ſuperbiat:

& hinc patet, *Iunonem*, *Deam Syriam*, *& Iſidem* ſive *Cererem non alias a Venere Deas ſed eandem fuiſſe Venerem*, pro diverſis operibus ei attributis varia nomina ſortitam; eo quod *Veneris ſtellam* alii *Iunonis eſſe voluerunt*. Timæus Locrus de anima mundi pag. 12. Hyginus lib. 11. Aſtronom. Alii *Iſidis*; alii *Matris Deum* ſive *Dea Syriæ*; inſpice Plinium lib. 11. cap. 8. aliosque auctores. Hinc forſitan etiam cum emphaſi Plutarchus in libello de ſuperſtione pag. 170. *Deam Syriam Deum vocat*, dicens Συρίαν θεὸν in maſculino genere, non in fœminino genere θεὰν, ut ita exprimat Deæ etiam iſtius naturam hermaphroditicam: licet non ignarus ſim, quod vox Græca θεὸς ſit generis communis, & tam de Dea quam de Deo dicatur, ſicut apud Syneſium, Platonem lib. 1. de Republica, Homerum Iliad. A. Demoſthenem in init. Orat. pro Corp. alioſque. Sed hoc ex iſto amphibio & duplici ſexu Dearum originem habuiſſe, autumo, cum alias Græco idiomate Dea vocetur θεὰ, ſicut Deus θεός. Et ſicut hic ſupra videmus, & *Iunonem*,

quod

quod nomen Ἥρη ſatis indicat, *Venerem*, & *Venerem* ſive *Lunam Rheam* etiam *fuiſſe*, ita quoque a veritate non alienum videtur, quod *Germanorum Freja*, ſive *Frea Venus*, *ab Ægyptiorum & Syrorum Rhea originem adipiſcatur*, unde in noſtra lingua Belgica *Frydagh*, de quo ſupra. Quod autem *Diana* etiam *ipſa Venus fuerit*, præter ea, quæ ex Luciano & Apulejo depromſimus, ipſum ejus nomen id ſuggerit, nam eam indicans Ἀρτέμιδι βρυθοὶ dicit Apollonius Rhodius in Argonaut. quod deſcendiſſe videtur a verbo βρύειν *ſcateo*, *ſcaturio*, *pullulo*, & *pubeſco*, item *germina emitto*, hinc ἔμβρυον *infans utero concluſus*, & ἔμβρυος adjective genitalis vel *prolificus* juxta Theophraſtum lib. 1. de cauſis pl. cap. 1. Quidquid de hac re ſit, ſatis ſuperque ex ſuperioribus demonſtravimus, *Venerem illum deum*, ſive Ἀφρόδιτον eſſe *Lunum* ſive *Lunam*, atque adeo apud Phænices & Ægyptios *Iunonem* ſive *Deam Syriam*. Quod autem *hic Deus pollens Venus*, ſeu, quod idem eſt, *Luna* ſive *Iuno* apud prædictos populos *non* alius, *ſed ipſe Sol exſtiterit*, probabile eſt; tam quod Heliopoli (quæ eſt

ci-

civitas in Ægypto a Sole denominata, cui Sol præſidebat) *Iunoni* antiquitus *homo fuit mactatus*. Porphyrius lib. II. quod *ſacrificium* in eodem loco *Soli oblatum fuiſſe*, ſi bene meminimus; alibi legimus, *quem* τὸν τῆς Ἀνθρωποκτονίας νόμον. *mactandi ritum Amaſis Rex Ægypti* ibi *abrogavit* & ſuſtulit; quam etiam quod ſicut in Sacra Scriptura Baalis (quem Solem fuiſſe oſtendimus & fuſius infra oſtendemus) Sacerdotes crudelibus cultris in corpora ſua ſævientes ſanguinem ſuum illi libarunt 1 Reg. XVIII. 28. ita etiam Deæ Cybelæ, ſive quod idem eſt Veneris ſacris initiati & galli vocati cruentis vulneribus Deorum Matri litarunt, de quo prolixius in particulari capite. Sed præcipue *Solem* ſive *Belum non alium, ſed omnino Venerem fuiſſe* inde conſtat, quod *in Dea Syriæ* (quæ una & eadem erat cum Venere & Luna; ſicut ſupra probatum eſt) apud Ægyptios in templo intra ſepta *paſcebantur boves, equi, aquilæ, urſi, leones illi Deæ conſecrati*; Lucianus lib. de Dea Syr. pag. 789. & expreſſe *equos* illi *ſacros* fuiſſe Valerius Flaccus Argonaut. l. v. verſu 288. dicit; quæ animalia, ſi non

om-

omnia, quædam tamen Soli gentilitas conſecravit, ſicut ſuo loco adductis Authorum teſtimoniis ſufficienter docuimus. Imo *ipſe Apollo* in eodem templo oracula reddens *barbatus* ibi conſpiciebatur, & *depingebatur*; Lucianus de Dea Syr. pag. 785. & *Sol barbatus ab Hieropolitanis colebatur*; teſte Fulgentio in Mytholog. & a Nonno lib. XL. Dionyſ. Ἀστεροειτὴν ὑπήνην *Stellatam barbam alens & habens deſcribitur.* cum alias *communi conſenſu Solem ſine barba pingunt*, ſunt verba German. Cæſaris in Arati Phænom. Comment. & ſic Lucianus in Jove Tragædo, & ruſus in Icaromenippo *Apollinem* ἀγένειον *imberbem*; Callimachus in hymno Apollinis προθήβην, & Arnobius lib. v. *glabrum* delineant. Et *quis* quæſo *alius erat ille Sol* ſive *Apollo barbatus, quam Freja barbata Dea Germanorum*, ſeu *Venus Deus Romanorum? cujus Veneris ſimulachri barba prolixa horripilantis ſuperior lumbis pars maris ſpeciem, fæmineam inferior præ ſe ferebat*, *teſte* Suida. Quæ noſtra de Venere opinio eo argumento, ut mihi videtur, non ſubventaneo etiam nititur, quod *Mithra*, de cujus ſignificatione ſu-

pra egimus, non tantum apud Perſas pro Sole, ſed etiam apud Ægyptios teſte Herodoto *pro ipſa Venere haberetur*, cum dicat lib: I. Ασσύριοι τὴν Αφροδίτην Μυλίττα, Αράβιοι δὲ Αλιττα, πέρσαι δὲ Μίτραν. *Vocant Aſſyrii Venerem Melitta, Arabes Alitta, Perſæ Mitram.* Hinc vero Quintus Curtius lucem commodans explicari & intelligi poteſt lib. IV. *Solem & mithram, ſacrumque & æternum ignem invocans.* Nam ibi ex fide codicum *mithram* legendum eſt, non vero *Martem*: Eo in loco primo fit mentio *Solis*, deinde *mithræ*, tertio *ignis*; ex quo colligi poſſe videtur, ibi *mithram* non ipſum *Solem*, ſed *Lunam* ſive *Venerem* potius fuiſſe: & P. Statius Thebaid. lib. I. *Mithram Solem & Mithram Lunam* ſive *Venerem idem Numen fuiſſe*, ſicut opinor, *innuere videtur* his verbis.

Seu te roſeum Titana vocari
Gentis Achæmeniæ ritu, ſeu præſtat Oſyrim
Frugiferum, ſeu Perſæi ſub rupibus antri
Indignata ſequi torquentem cornua Mithram.

Nam *cornua* proprie *Lunæ attribuuntur.* Ovidius Epiſt. II. Phyll. Demop.

Cor-

Cornuacum lunæ pleno ſemel ore coiſſent.
Sedulius Scotus lib. I.
Qui Solem radiis, ac Lunam cornibus imples.
M. Lucanus lib. v. p. 595.
Seu Phœbum videat, ſeu cornua Lunæ.
Valer. Flaccus lib. IV. Argonaut.
Plenæ referentem cornua Phœbes.
Unde etiam Nonnus in Dionyſiac. lib. VIII. dicit & canit. βοῶν ἐλάτειρα σελήνη. *Boum agitatrix luna*; quod epitheton etiam *Soli* ſive Herculi datum fuiſſe ſupra cap. v. oſtendimus. Hinc *taurus utrique ſacer* olim habebatur, *qui* etiam *Lunæ* antiquitus in ſacrificium immolabatur. Et ſicut notum eſt, quod *Ægyptiorum Iſis fuerit Ino* a Jove, ſicut fabulantur Poetæ, compreſſa, quæ ut Junonis indignationem effugeret, ſub tauro latitans varios terrarum tractus permenſa in Ægyptum venerit, ubi, tauro in cœlum ſublato, & inter Zodiaci ſigna relato, pro Dea Ægyptii Inonem colere cœperunt; ita etiam ex Luciano & Ovidio patet, quod *Apis* ille *Ægyptiorum Deus*, qui *ſub imagine bovis* ſive *vaccæ*, ſive *in ipſo vivo & candido bove* ab illis adorabatur, *non*

alius fuerit, *quam ipſa Ino* ſive *Iſis ab Ægyptiis etiam Deæ forma adumbrata.* Sed audiamus Ovidium Faſtor. lib. v. p. 111.

Taurus init cœlum. (Sub quo nempe Ino latitaverat)

Hoc alii ſignum (Zodiaci) *Phariam dixere juvencam*,

Quæ bos ex homine eſt ex bove facta Dea.

Lucianus de Aſtrologia etiam opinionem eam fulcit. καὶ μὴν καὶ ταῦρον ἐς τιμὴν τοῦ ἠερίου ταύρου σεβίζονται. καὶ ὁ Ἆπις αὐτοῖς χρῆμα ἱερώτατον τὴν χώρην ἐπινέμεται, καὶ οἱ ἐκεῖ μαντήιόν τε ἀνατιθέασι, σημήιον τῆς ἐκείνου τοῦ ταύρου μαντικῆς. *Quem taurum etiam* (*Ægyptii*) *ob honorem cæleſtis tauri* (ex Zodiaci ſignis) *colunt. Nam apis apud illos res inprimis ſacra regionem ſortitus eſt. Et qui jam incolunt partem oraculum quoque dicarunt, ſignum videlicet divinationis, quam a cæleſti tauro petunt.* Et ſicuti *Ino* ſive *Iſis ipſa Ceres*, atque adeo *Venus fuit*, ſicut ſuo loco ſatis probatur, ita etiam *Apem Ægyptiorum*, *nomine mithræ* ſive *Solis* antiquitus *fuiſſe expreſſum* docet Martianus Capella in Nuptiis Mercurii & Philologiæ.

Hunc (nempe Solem) *Phœbum perhibent*

pro-

prodentem occulta futuri,
Vel quia diſſolvis nocturna admiſſa Iſæum,
Te Serapin Nilus, Memphis veneratur Oſyrim,
Diſſona ſacra Mitram, Ditemque feruntque Typhonem
Atys pulcher item, curvi & puer almus aratri
Ammon & arentis Libyes, ac Biblius Adon,
Sic vario cunctus te nomine convocat orbis.

Obſerva hic etiam, quod Capella *Solem* ſive *Mithram* inter alia nomina *Iſæum* quoque nuncupat, quod haud exigua deſtina & firmamentum eſt opinioni meæ ſubfulciendæ inſerviens, ſcilicet quod *Apis* ſive *Sol fuerit cum Iſide* ſive *Venere idem Numen*; & ex omnibus, quæ ſupra ſcripſimus luculenter conſtat; *Mithram Solem* ſive *Apem* omnino *eundum fuiſſe cum Mithrâ Venere ſive Luna*, atque adeo *utriuſque & dubii ſexus, hermaphroditum* ſcilicet. Unde etiam forſitan hodie quidam Indiæ populi Diabolum prominentibus cornibus tremendum, barba virili hiſpidum, & fœmineo pudendo androgynum depin-

 gunt,

gunt, veluti itineraria teſtantur. Atque hæc ad explicationem Statii, qui cum Capella, Luciano & Ovidio collatus, illos egregie illuminat, & ab illis viciſſim illuminatur. Eodem etiam, quo locus P. Statii ſupra indicatus, modo capi & intelligi poſſunt verba Domitiani Epiſcopi Melitenæi in Armenia, qui miſſus ad Choſroen Perſarum Regem ejuſque ſubditos ad fidem Chriſtianam convertendum, Perſas ita allocutus fuiſſe ſcribitur in Menæis Græcor. *Subiguntur enim leones, & dracones eliduntur, Bel atque Mithras captivi abducuntur.* Si ibi *per Bel Sol* intelligatur, quem Baalem ſeu Belem vocatum fuiſſe alibi ſcripſimus, neceſſario per *mithram Lunam* ſive *Venerem intelligi oportet.* Nam Perſæ tantum colebant *Lunam*, & *Aquam*, & *ignem*, & *tellurem*, & *ventos, præter Solem, quem Mithram vocant, & cœlum, quod Iovem putant.* ut loquitur Strabo lib. xv. p. 489. Sed dici etiam poſſet, quod per *mithram* in ſupra ſcripto & allegato loco Menæor, & Solem, & *Venerem* ſimul innuat; quæ etiam ab urendo nomen hoc ſortita fuiſſe videtur,

eo

eo quod hominem amoris ſua face in flammat, ſicut, veluti ſuperius vidimus, etiam ab igne ſuo, quo lucet, flagrat, & urit, Sol hoc nomine gaudet. Ab hac *Venere mithra*, forſitan etiam noſtro idiomate *meretrix* æque ac *lupanar mijte, mot, motte* nuncupatur; eo quod Venus in lupanaribus his exercita veluti ignis & tinea ſervientium ſibi corda, corpora, carnem & bona depaſcat & arrodat; & quod per *Belum* in prædicto loco *Iupiter* ſive *cælum intelligatur*, quod *Vrania* eſt, & ut ante probavimus, *eandem apud Syros Venerem denotat*. Quidquid de hac re ſit, ſufficit mihi, quod ſub *mithra* & *Sol*, & *Venus* ſimul *comprehendantur*. Et præterea, ſicut ſuperius delibavimus, *Deus ille Venus*, ſive *Deus Lunus a* Strabone *Meni vocabatur*; *Pan* autem *idem Menes* ſive *Venus* ſive *Luna* nempe *fuiſſe videtur*, cum & ab Ægyptiis *Mendes* olim *indigetatus fuerit*. Non adducam hic & prolixe deducam, quod *Panathænea*, *quæ in honorem Panis* circumrotatis facibus, & lampadibus *agitari Athenis ſolebant* teſte Herodoto lib. VI. eadem feſta Lucianus *Deæ Syriæ* ſive (quod idem

idem eſt) *Iunoni* ſive *Veneri* adſcribere & vendicare videtur de Syr. Dea pag. 792. Nam *hoc feſtum*, ſicuti loquitur, ἑοτίων πατρίων μεγίςην οἱ δὲ λάμπαδα, οἱ μὲν πυρὰν καλέουσι. *Omnium feſtorum maximum alii lampadem, & facem, alii pyram vocant.* Idem *feſtum*, *in quo*, teſte Luciano, *Deæ iſti Syriæ* cæteriſque dæmoniis *magna brutorum vis, necabatur* & ex arboribus ſuſpendebatur, Philoſtratus in vita Apollonii lib. 1. cap. 7. exponit, innuit & meminit, atque παναθλῶναια vocat, cum ita dicat. Δοκεῖτε γάρ μοι περιιόντες ἐπειτὰ τὰ παναθηνάια πέμπετε μηδὲ βοῦς ἔτι, ἀλλ' ἑκατόμβας ἀνθρώπων τυπυθύσειν ΤΗ ΘΕΩ. *Videmini enim mihi, cum feſta, quæ Panathenaica dicitis, celebraveritis, non boves in ſacrificio ſed homines mactare* (*fæminæ Deo*). Et quid quæſo aliud per τῇ θεῷ intelligitur, quam vel *ipſa Dea Venus* ſive ἀφροδίτης, *cum qua eadem Iuno* ſive *Syria eſt*, quæ veluti τὸ πᾶν *omne*, *omnes reliquas Deas* nempe *Cererem*, *Dianam*, *Proſerpinam*, *Lucinam*, & *Lunam nomine ſuo comprehenſas contineat?* cum in eo prædicto *ſacro* non modo oves, & capræ Pani dedicatæ mactarentur, ſed etiam omnium brutorum

ge-

genera reliquis Deabus ſacra. Hæc etiam, ut opinor, cauſa fuit, quod ſicut Philoſtratus *Deam Syriam maſculino genere* & articulo fœminino τῇ θεῷ *expreſſit*, ita etiam Plutarchus *illam eodem genere poſitam dixerit* Συρίαν θεόν. Et quod magis eſt, *Minerva* (quam Iſidem cognominabant,) quæ etiam una ac eadem cum Venere erat, & etiam ſimul ſub Dea Syria comprehendebatur, ejuſque nomine efferebatur, ut docuimus ſupra ex Luciano de Dea Syria & Apulejo, *illa*, inquam *Minerva Iſis*, nomine πᾶν *Panſignificabatur*, nominabatur, & gaudebat. Stobæus ſerm. 42. p. 306. ex Serino. Τὸ δὲ ἐν σαί ἀθηνᾶς ἣν ἶσιν νομίζουσιν ἕδος, ὑπεργραφὴν εἶχε τοιαύτην. ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὄν, καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδεὶς πωθνητὸς ἀνεκάλυψεν. *Quin & Minerva, quam Iſidem cognominant, quod in Sai eſt ſimulachrum, talem inſcriptionem habebat. Ego ſum omne quod fuit, quod eſt, quod erit, & peplum meum nemo mortalium revelavit.* Dicitur autem *omne* πᾶν, *quod eſt, quod fuit, quod erit*, quia (ut ſæpius jam diximus nec repetere piget,) Dea Syria (quæ hæc Iſis erat) ſuo

ſub nomine omnes reliquas Deas ſupra dictas complectebatur, & exprimebat, & forte etiam Deos. Quod autem *Pan Apollo* ſive *Sol re vera etiam fuerit* ex Plutarcho apparet, qui in lib. de orac. defectu p. 419, B. C. D. narrat, ſibi ab amico nomine Æmiliano Rhetore relatum eſſe, quod cum aliquando ex Italia ſolviſſet, nocte profunda ex inſula Paxis, quo appulſi erant, vox audita ſit, quæ Thamum Ægyptium navis gubernatorem nomine ciens ei acclamabat, ut hominibus patefaceret, quod μέγας πᾶν *Magnus Pan* eſſet mortuus: Hunc autem *Magnum Pana*, cujus oracula tenebroſa adulto ſole & ſplendore nativitatis Servatoris noſtri Chriſti diſcuſſa evanuerunt, *neminem alium, quam ipſum Phœbum* ſive *Apollinem fuiſſe* lippis & tonſoribus notum eſt. Hic *Pan caprina facie* apud Mendeſios Ægyptiorum *exſculpebatur*. Herodotus lib. II. p. 106. ſicuti *eodem arietino vultu, cornibuſque prominentibus horrens Iovis ſimulachrum* colebant Ægyptii, quem *Iovem Ammon* vocabant. Herodotus lib. II. p. 104. & Quintus Curtius lib. IV. p. 55. *umbilico*

te-

tenus arieti ſimilem deſcripſit, & *Hammonem* vocavit. Quod vero *Iupiter* ille, *Hercules* (non ille Græcorum ſed Tyriorum & Ægyptiorum, Græco illo annis longe major & antiquior (de quo Lucianus de Dea Syr. pag. 749.) ſive quod idem eſt, *Sol exſtiterit*, ſuo loco viſum eſt, & Curtius loco ſupra allegato probat, qui iſti *Ægyptiorum Iovi Hammoni nemus & fontem conſecratum fuiſſe* dicit, *quem incolæ Solis aquam appellant*. Imo *Iunonem* etiam *Ammoniam ſive Hammoniam Ægyptii* vocabant, & ſumma religione & honore colebant. Quin etiam Macrobius author eſt l. 1. cap. 17. Saturnal. & Mythologi teſtantur, *quod omnes Dei ad Apollinem* ſive *Solem antiquitus fuerint relati*, *qui* non tantum aliorum Deorum, ſed etiam *Iovis Ammonis nomen in Æthniciſmo ſibi adoptavit*; juxta Martianum Capellam de nuptiis Mercurii & Philologiæ.

Hunc Phœbum perhibent prodentem occulta futuri,
Vel quia diſſolvis nocturna admiſſa Iſæum,
Te Serapin Nilus, Memphis veneratur Oſyrim,

Diſſona ſacra Mithram, Ditemque ſeruntque Typhonem,

Atys pulcher item, curvi & puer almus aratri

Ammon, & arentis Lybies, ac Biblius Adon

Sic vario cunctus te nomine convocat orbis.

Hic autem *Iupiter* (ſive Pana & *Solem* nominare mavis) ab Apulejo lib. de mundo p. 25. non tantum vocatur *Saturnus*, *frugifer*, *Imbricator*, & *Serenator*, (quæ tria epitheta Phæbo ſive Apollini & *Soli* etiam applicari poſſunt) ſed etiam ut hermaphroditus ita deſcribitur; Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη. *Iupiter & mas eſt, eſtque idem Nympha perennis.* Sic etiam idolum *Dagon* (quod *Venerem* ſive *Aſtarten* Sidoniorum fuiſſe in ſequentibus inculcabitur,) *Iupiter* Ζευς Αροτριος, ab æthnicis antiquis dictus, & *Vrani filius creditus fuit.* Euſebius lib. προπαρασκ pag. 23. Et ſicut *columba* a Gentiliſmo *Soli* ſive *Apollini* erat *conſecrata*, ſicut paſſim ex Euripide in Jönib. patet, & præcipue ex his verbis.

καὐ τῷδε μόχθῳ, πτηνῶν εἰσπίπτει δόμοις
κῶμος πελειῶν. λοξίου γὰρ ἐν δόμοις
Ἀτρέστω . αἰσσ'

Et

Et in hoc labore irruit in domum volucre
Agmen columbarum. (Apollinis enim in templo
Tuto habitant.)

Alio loco.

φοιτῶσ' ἤδη, λειπούσιν πε-
π τανοὶ παρνασσοῦ κοίτας

Veniunt jam & relinquunt
Volucres Pernaſsi cubilia.

Ita etiam *eadem columbæ Iovi* nominatim *Ammoni* ſive *Hammoni ſacræ* olim *fuerunt*, quod præter Apollodorum lib. 1. p. 60. Biblioth. & Apollonium Rhodium lib. 1. Argonaut, etiam probat Nonnus Dionyſ. lib. III.

Ζῆνα λίβυν τέκε βῆλον ἐμῆς ἀροτῆρα γενέθλης,
καὶ Διὸς ἀτβύστοιο νέην ἀντίῤῥοπον ὀμφὴν
χαονίη βοόωσι πελειάδι διψάδες Ἄμμοι.

Iovem Libyum genuit Belum meum ſeminatorem generis,
Et Iovis Aſbyſtæ novum compenſans vaticinium
Chaonia prædicant columba ſiticuloſæ arenæ Ammon.

Unde preter ea, quæ ſuperius diximus, veriſimili ſaltem ratione colligi poteſt,

 non

non tantum, quod *Sol* ſive *Apollo non alius & diverſus, ſed idem* Deus *Iupiter fuerit*, ſed etiam quod ad rhombum facit, *Apollinem* ſive *Iovem Hammonem nomine Beli expreſſum exſtitiſſe ipſam Venerem, quoniam columbæ maxime Veneri in delitiis & honore fuerunt*, ſicut ex infinitis locis per Authores diſperſis confirmare poſſemus. Sed cui hic non eſt dictus Hylas? igitur hi pauci Scriptores Claſſici ad illud probandum ſufficiant; nempe Anacreon in carm. de columba. Apollodorus citatus ab Apollonii Rhodii Scholiaſte lib. III. Argonaut. P. Victorius variar. Lect. lib. III. cap. 14. Sic etiam Prudentius lib. II. contra Symmachum.

Aut Paphiam niveæ vexere columbæ.

Ex his igitur & ſuperioribus, quæ hactenus diximus, colligi poteſt, & concludi, quod *Bel* ſive *Baal Apoſtoli noſtri Pauli fuiſſe videtur idem ille Sol, & Iupiter Hermaphroditicus*, ſive, quod idem eſt, *Freja barbata duplicis naturæ*, ſive *Deus ille Luna*, & *ille Androgynus Venus*, de quibus hactenus, *quæ omnia idem numen denotare creduntur*. Quod veriſimile eſſe & eo magis mihi perſua-

deo;

deò, quia *Sabai* antiquiſſimi populi *Venerem nominaverunt Beltam*, veluti teſtantur Muhammed Ben Iſák, & Ali Said Vaheb apud Hottingerum lib. 1. cap. 8. p. 177. Quæ vox originem trahere videtur a *Baal* ſive *Bel*: veriſimile etiam videtur, quod Plutarchus in vita Solonis pag. 84. lin. 41. D. nomine Νύμφης Βάλτης *Nymphæ Baltæ* intelligat *illam Venerem*: unde Plutarcho magna lux ex præcedentibus præbetur. Ab hac *Venere Belta* belgicam illam vocem *Bal*, *Balg* profluxiſſe exiſtimo, qua *ſcortum*, *pellex*, *pellaca* intelligitur. Nam *Venus* ut vulgo ſatis notum eſt, *Martis concubina* a Gentibus *habebatur* & *Freja Germanorum Venus Martis uxor* ab illis fingebatur. Ex quibus omnibus ſatis τοῖς φρονοῦσιν ὀρθῶς patere & conſtare videtur, quod non abſque ratione *Apoſtolus Paulus Baal* ſive *Balem ſœminino genere* & *articulo notaverit* & *produxerit*, & non τῷ ſed τῇ *Baal* poſuerit, cum *Baal Venus ille Deus* & Αφρόδιτος atque ita *Hermaphroditus* & κοινὸς fuiſſe credatur; hinc a Deo deficere & idolatriam committere phraſi Sacræ Scripturæ admodum familiari

liari in Bibliis exprimi videtur, nempe ſcortari cum alienis Deis, ſcortari cum Baal, *&c.* Adeo ut non ſatis non admirari poſſim infallibilem Sacræ Scripturæ veritatem, quæ etiam ἐπὶ μικροῖς Divinam ſuam majeſtatem ſpirat, & authorem ſuum nempe verum Deum prodit. Hoc ſtillicidium de ſitula circa loci iſtius Pauli explicationem & genuinum ſenſum impræſentiarum mihi ſufficit.

Cap. X.

Explicatur 2 Reg. XVII. 13. & Amos V. de Venere, quæ Ἀναῖτις, *aliiſque nominibus dicta. Agathiæ lapſus correctus. Herodotus a Seldeni correctione vindicatus. Venus Rempham. Venus Dagon. Syri abſtinent a piſcibus. Venus Aſtarte. Variæ opiniones Authorum de Aſtarte conciliantur. Macrobius & Theodoretus defenduntur & illuſtrantur; item Lex Boiorum, & Oſiridis. Aſtarte terra. Lex Boiorum corrigitur. Diana humanis victimis culta; & Minerva & Neptunus; Dii Marini; Bacchus etiam. Tertullianus correctus. Æſculapio, Iuriis, Pavori, Patriis Heroibus, Deis Fe..tibus, Plutoni aliiſque victimæ humanæ immolatæ. Aſſ-biot.*

EAdem *Venus* ſive *Alytta*, vel *Mylitta* & *Urania* putatur fuiſſe etiam *Succoth-Benoth idolum hominum Babelis, novorum Samariæ colonorum*, 2 Reg. XVII. 13. & *Sichut Siccuth dæmonium Iſraelitarum.* Amos V: 26. vide annotat. Bezæ in verſ. 44. cap. VII. Actor. Hanc *Venerem* Perſæ etiam Ἀναΐτιδα vocabant. Agathias Hiſt. lib. I. ἀλλὰ βῆλον μὲν, τὸν δία τυχὸν, σάνδην τε τὸν ἡρακλέα καὶ, ἀναΐτιδα τὴν ἀφροδίτην, καὶ ἄλλας τοὺς ἄλλους ἐκάλουν. *Belum quidem Iovem & Sandem Herculem, Anaïtida Venerem, aliterque alios vocabant* (Perſæ.) & τὴν Ἀναΐτιν *Venerem* dicit Strabo l. XV. p. 489. quæ a Clemente Alexandrino ex Beroſo Ἀφροδίτη ταναΐς appellatur in Admonit. ad gentes. Sed Herodotus lib. I. ſicut & alibi ſubmonuimus, dicit, quod *Aſſyrii Venerem Mylittam, Arabes Alittam, Perſæ Mithram vocaverint.* Quod ab Agathia, qui Perſas Venerem Ἀναΐτιδα dixiſſe author eſt, toto cœlo diſcrepat. Sed forſitan aut Venus duo apud Perſas geſſit nomina, nempe & mithræ & Ἀναΐτιδος, aut Agathias loco ſupra dicto lapſus eſt, & quod ille Perſis adſcribit, hoc de Arabibus intelligendum

dum eſt, qui Venerem Alittam nuncuparunt. Fruſtra autem ibi in Herodoto Clariſſimus Seldenus (a quo nihil mutuati ſumus, niſi, cum ipſum authorem citemus) pro Ἀλιτ7α ſubſtituit ἀλιλατ, quod Arabibus eo nomine luna effertur; Nam ut aliquoties admonuimus, Syria illa Dea ſive Venus, & Dianam quæ eſt Luna, & Minervam, & Nemeſin, & Parcas nomine ſuo comprehendebat. Hæc Venus Allatha, vel Allitha, quod apud Mahumetanos unum & idem eſt, etiam *Cubar* ſeu *Cabar appellabatur*. Euthymius Zygabenus in Panoplia προσκυνοῦντες τῷ Ἑωσφόρῳ ἄστρῳ, καὶ τῇ Ἀφροδίτῃ, ἣν δὲ καὶ χαβὰρ τῇ ἑαυτῶν ἐπονομάζουσι γλώττῃ; *(Arabes) Luciferum adorabant & Venerem, quam Cabar ſua nominant lingua*. Catecheſis Saracenorum cum Zygabeno in omnibus conſentit. Eadam *Venus* apud Georgium Monachum p. 128. in Diſput. Arab. inter quoſdam Muſliminos *Alacbar* dicitur. Hanc *Venerem* Sacram Scripturam per *Rempham* innuere & exprimere exiſtimo, cum Iſa Bar Ali in Lexico M. S. Syro Arabico citato ab Hottingero *Allath* dici *Rempham* au-

author eſt; & Hieronymus in Commentar. ad Amos hoc vocabulum hebraice dici Cocab id eſt Luciferum affirmat, *Lucifer* autem quid aliud eſt, *quam ipſa* Veneris ſtella, adeoque *ipſa Venus?* Cicero lib. II. de Natura Deor. Varro lib. III. de Re ruſt. cap. 5. Unde quod *Venus ita* per Luciferum genere maſculino efferatur, non leve etiam argumentum poteſt peti opinioni noſtræ & diſputationi ſubſtruendum de Venere Hermaphrodito, ſive Bale apud Apoſtolum Paulum genere fœminino expreſſo. Sed obiter hic admonere volui, quod ex hac diſſertatione de Deis obſervaſſe mihi videar, gentiles etiam ex lumine naturæ unicum crediſſe Deum, quem tamen pro diverſis operibus, quibus præeſſe, & diverſis effectis, quæ operari credebatur, variis nominibus ſive Deorum ſive Dearum extulerunt. Unde venit fortaſſis, quod ita Authores in aſſignandis Deorum & Dearum nominibus inter ſe diſcrepent, & nonnunquam diverſos effectis Deos eodem nomine exprimant. Ejuſdem farinæ fuit & *Dagon numen Phi-*

li-

liſtæorum. Judic. XVI. 23. *quod Piſcis forma horruiſſe* teſtantur R. Salomo, & Nicolaus de Lyra; *ab umbilico piſcem retuliſſe, ſupra umbilicum ſpeciem hominis habuiſſe* dicit R. David apud Druſium in notis ad Sulpit. Sever. cap. 50. lib. I. quod monſtrum carmine ſequenti in arte Poetica eleganter depingit Horatius

Ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem, mulier formoſa ſuperne,

(Quale idolum hodie etiam apud Japannenſes colitur). Nam Ἀφροδίτην ſive *Venerem fuiſſe* exiſtimant eruditi, quam Græci Δερκετὼ *Dercete* ſive Δερκετὶς *Derceten* (de qua Ovidius lib. IV.) Sidonii *Atarten* vocabant. Hinc igitur cauſa forſitan petenda eſt, cur *Syris piſcem commedere* religio & *nefas fuerit*. Vide Porphyrium lib. II. Hyginus fabula CXCVII. hujus ſuperſtitionis & religioſæ abſtinentiæ rationem reddit. *In Euphratem flumen de cælo ovum mira magnitudine cecidiße dicitur, quod piſces ad ripam evolverunt, ſuper quod columbæ conſederunt, & excalfactum excluſiße Venerem, quæ poſtea Dea Syria eſt appellata, & juſtitia & probitate cum cæteris exſuperaſſet, & ab Iove*

op-

optione data, piſces in aſtrorum numerum relati ſunt: & ob id Syri piſces & columbas ex Deorum numero habent, & non edunt. Nam apud Aratum Phænomen. pag. 183. diſtincte Nigidius de aſtro piſcium aſtruit etiam, quod hodie propterea *Tyri neque hos piſces edunt, & columbas poteſtate decorant.* Lucianus in libello de Dea Syria hujus rei aliam rationem reddit, cum dicat. *Piſces rem ſacram exiſtimant, neque unquam piſces attingunt* (Syri). *Deinde & aves alias quidem edunt, columbam autem ſolam non edunt, ſed hæc ſacra ipſis eſt. Et quod hæc ita fiunt, placet ipſis Dercetus & Simiramidis gratia fieri, alterum quidem, quod Derceto piſcis formam habet, alterum autem quod Semiramis ad poſtremum in columbam verſa ſit. &c. Quando & apud Ægyptios nonnulli ſunt, qui piſcibus non veſcuntur, & in gratiam Dercetus minime faciunt.* Unde ad huc Luciani etiam tempeſtate *piſces Deæ Syriæ*, ſive *Veneri* & *Aſtartæ in templo alebantur.* Ἔστι δὲ καὶ λίμνη αὐτόθι, οὐ πολλὸν ἑκὰς τοῦ ἱρῦ, ἐν τῇ ἰχθύες ἱροὶ τρέφονται πολλοὶ, καὶ πολυειδέες γίγνονται δὲ αὐτέων ἔνιοι κάρτα μεγάλοι, οὗτοι δὲ καὶ οὐνόματα ἔχουσι, καὶ ἔρχονται καλεόμενοι. *Eſt autem lacus ibi, non*

ita

ita longe a templo, in quo piſces ſacri aluntur, multi ac varii, naſcuntur autem ipſorum nonnulli admodum magni, atque ii nomina quoque habent, & cum vocantur præſto veniunt. Imo magnum miraculum, ſi Diis placet, Porphyrius ex Menandro Comico de illis piſcibus narrat. παράδειγμα τοὺς Σύρους λάβε, ὅταν φάγωσιν ἰχθὺν ἐκεῖνοι διὰ τινα αὐτῶν ἀκρασίαν τοὺς πόδας καὶ τὸν γαστέρα. *Sume Tibi Syros pro exemplo, nam cum per intemperantiam piſcem illi comederint, tument pedibus & ventre. &c.* Hanc ſuperſtitionem Eſſæi Judæorum Secta a Sidoniis ſive Phænicibus & Syris imbiberunt, nam piſces cartilagineos a Græcis σελάχια dictos, & ſues comedere piaculum ducebant. Hæc autem *Venus* ſive *dagon* & *Dea Syria a Phænicibus Artage dicebatur.* Phornutus de natura Deorum. de Rhea Dea ſive Phrygia; *Porro videtur eadem eſſe hæc, quæ apud Syros Artaga dicitur, quam per columbarum & piſcium abſtinentiam colunt, & declarantes ignem & aquam eſſe, quæ maxime eſſentia electionem dant in propatulum.* Hanc *Afri* Sidoniorum coloni Οὐρανίαν, *Phænices* Ἀστροάρχην dicebant, juxta Herodianum lib. v. in vita

Baſ-

Baſſiani ſive Heliogabali. Minutius Felix in Octavio vocat p. 4. *Aſtarten*; Plautus in Mercator. act. IV. *Divam Aſtarten.* & rurſus Bacchid. act. I. *Aſtartem, Bromium, Deoſque Voluptuarios*; quibus addantur Artemidorus Onerocrit. cap. XIX. Auguſtinus lib. VII. Quæſt. ſuper Judic. libr. cap. 16. Tertullianus Apolog. cap. 24. Petrus Faber Semeſt lib. III. cap. I. Achil. Tatius lib. I. p. 2. An autem *Aſteria*, de qua Apollodorus lib. I. p. 13. & Brittannorum Dea *Adraſte*, de qua Dion l. LVII. p. 702. *Syrorum Aſtarte* fuerit? non impræſentiarum definio. Hoc certum eſt, quod hæc *Venus Aſtarte* in Sacra Scriptura eſt *Aſtaroth*; quoniam illud dæmonium Menander Epheſius apud Joſephum expreſſe *Aſtarte* vel *Aſtarthen* vocat: Hanc *Venerem Aſtarot* ſive *Aſtarten coluerunt Sidonii*, 1 Reg. XI. 5. 33. 2 Reg. XXIII. 13. *Philiſtini.* 1 Sam. XXXI. 10. *Iſraëlitæ*, Judic. II. 13. & X. 6. 1. Sam. VII. 3, 4. & XII. 10. 1 Reg. XI. 33. *Salomon.* 2 Reg. XXIII. 13. *Afri*; nam Salvianus lib. VIII. de Provident: *cæleſte illud Afrorum dæmonium* vocat; atque adeo

Pæni;

Pæni; Cicero de natura Deorum lib. I. cap. 5. deſcendit a voce *Atargato* Syrorum, ſive *Atargati*, cum qua idem eſt Ἀθάρα, ut ait Strabo. Circa hanc Deam eruditorum natio in diverſas abiit ſententias, & contentionibus magnis exarſit. Quidam enim per hanc *Aſtarten ovem*, quidam *piſcem*, quidam *Iunonem* intelligunt, ut Auguſtinus lib. VII. Quæſt. 16. in Judic. alii *Lucinam*, alii denique *Venerem*, veluti Cicero loco ſupra citato. Euſebius de præparat. Evangel. lib. I. cap. 5. Theophilactus in Hoſeam IV. Theodoretus in 3 Reg. quæſt. 40. Sed hæ diſſidentes ſententiæ facile abſque negotio conciliari poſſunt; nam ſupra vidimus, quod *Dea Syria* ſive *Aſtarte* apud Syros alioſque & nomen *veneris*, & *Lucinæ*, & *Iunonis*, & *Dianæ*, & *Lunæ* promiſcue geſſerit. Macrobius lib. I. Saturn. cap. 21. *Aſtarten terram* interpretatur, *Lucos* Aquila & Theodoretus in 2 Reg. quæſt. 10. Quæ ſententia etiam teneri & defendi poteſt, nam *Lucos antiquitas ſuperſtitioſa terræ conſecraverat, quam Deam Matrem dicebat & honorabat*. Patet ex Ovidio in Metamorph. *Tem-*

Templa Deum matri, quæ nondum clarus
Ebion
Fecerat ex voto, numeroſis abdita ſylvis;

Ex Tacito de mor. German. *Caſium nemus terræ dicatum fuiſſe* ſcribente. Hinc etiam *gaio* (Græce γῆ, quod proprie *terram denotat,*) *pro arboreto, luco, & ſylva* fuiſſe uſurpatum arbitror. Lex Boiorum Tit. XXI. §. 6. *De minutis ſylvis vel quocunque Kaneio.* M.S. *Kneio. Germani Kneye ſalicetum vocant.* Sed veriorem lectionem arbitror *de minutis ſylvis, vel quocunque gaio;* aut potius. *De luco vel quocunque gaio victum reciderit.* Gloſſarium Vetus. *Gaio vel gagio ſylva denſiſſima.* Vide LL. Longobard. lib. 1. tit. 25. lib. 37. editio autem alia in priori loco leg. Boiorum tit. XXI. &c. habet. *De minutis ſylvis de wic.* in aliis autem codicibus ſcriptum invenies; *De minutis ſylvis de luco*; quod interpretatio eſt τοῦ *wic.* Otfridus Evangel. lib. IV. cap. 16.

Ioh thie Evvarton reſto
Livvun filu Rnehto
Thie farira ouh ginuage
Zi theme ſelben wige.

Idem lib. IV. cap. 18. Inde German. *wicgreve.* ἀλσοφύλαξ. Sed ad rem. Huic *Aſtarte* ſive Veneri apud Phænices *ſus erat ſacra*; Callimachus ſive Zenodotus in Commentar. Hiſtoricis. Pherecrates in Metallicis; unde *Syri a porcorum eſu omnino temperabant*, & *Ægyptii.* Porphirius lib. I. p. 53. Herodianus lib. V. & Lucianus de Dea Syria fuſiſſime. An vero etiam *huic Veneri Aſtartæ homines* conſecratos Phænices, Tyrii, Carthaginienſes, & Ægyptii *immolaverint*, ex Authoribus certe non conſtat; veriſimile tamen videtur; cum reliquos ſuos Deos illis ſacrificiis placaverint. Silius Italicus certe *Carthaginienſes Deis humanas illas victimas immolaſſe* generaliter affirmat. lib. III. de bello Punico. f. 46.

Mos ſuit in populis, quos condidit advena Dido
Poſcere cæde Deos veniam, &c.

Hoc etiam certum eſt, quod *Torræ Matri* ſive *Hertho* (de qua ſupra) *Germani hoſtias humanas immolare conſueverunt*; vide Tacitum de Mor. Germ. *Dianæ* quoque *ſacra hominum mactatione nefanda fuerunt*, ſicut ejus rei luculentus teſtis eſt Phor-

nu-

nutus lib. de natura Deorum de Diana. *Atque his quoque additum eſt illam* (Dianam) *luctu & cæde gaudere, unde nonnulli moti ſunt, ut ſacrificiis abſurdis nempe cæde humana illam placarent.* Efferi *Scythæ* autem in his cruentis ſacrificiis *Dianæ Tauricæ* immolatis facile omnibus aliis habitati orbis civibus palmam præripuerunt. Hinc Euripides Iphigenia in Tauris.

ἀυτὴ δὲ θυσίαις ἥδεται βροτοκτόνοις.

Ipſa vero (Diana Taurica) *delectatur hoſtiis humanis.*

Et Euripides Iphigenia in Aulide

ὦ πότνια, θύμασι βροτησίοις
χαρεῖσα.

O veneranda, quæ humanis victimis
Gaudes (Diana)

Hujus *Dianæ Tauricæ*, *cruentarumque hoſtiarum in ejus honorem jugulatarum* meminerunt, Hyginus fab. 120, 122. Pauſanias Atticar. p. 16. Servius in lib. 11. Æneid. p. 229. Strabo Geograph. lib. v. p. 160. 165. M. Felix in Octavio p. 4. Pauſanias in Achaicis p. 225. Prudentius lib. 11. contra Symmach. p. 374. Valerius Flaccus lib. 11. Argonaut. Athanaſius

ſius contra gentes p. 21. M. Felix in Octavio p. 21. Plutarchus de ſuperſtit. p. 171. Ovidius de Ponto lib. III. p. 285. Lucianus in ſacrificiis. Et ταυροπόλαν θεὰν vocat Euripides in Iphigenia in Tauris. & Suidas; quod *omnia ut taurus circuit*, & ταυροβόλον, quia *feras proſternit*. Ἀρτέμιδι βρυγοῖ *Dianæ Brygi* dicit Apollonius Rhodius lib. IV. Argonaut. τῇ Ἀρτέμιδι ἀπὸ σκυθῶν; Philoſtratus de vita Apollonii lib. VI. cap. 10. *Dianæ Orſilochæ cruentas immolationes adſcribit* Ammianus Marcellinus lib. XXII. pag. 391. *Inter quos immani diritate terribiles Arinchi, & Sinchi, & Napæi intendente ſævitiam licentia diuturna, indidere mari nomen inhoſpitali. Diis enim hoſtiis litantes humanis, & immolantes advenas Dianæ, quæ apud eos dicitur Orſiloche*. A cruentis hiſce ſacrificiis Timotheus *Dianam* θυάδα, φοιβάδα, μαινάδα, λυσσάδα depingit. Horum abominabilium ſacrificiorum memoriam refricuit vulgivaga venere infamis ille *Heliogabalus*; Ælius Lampridius in Heliogabalo pag. 156. *Etiam Oreſtam condidit civitatem, quam ſæpe cruentari hominum ſanguine neceſſe eſt, &c.* (Nam

Ore-

Oreſtes etiam Dianæ aræ devotus fuerat). *Scythiæ* ultra aquilonem populi etiam *Apollinem Hyperboreum coluerunt.* Servius Honorat. ad v. 114. Æneid. De horum populorum exiſtentia & regione diſceptantes & ſcribentes vide Eratoſthenem apud Strabonem lib. I. Pitheam Maſſilienſem apud Strabonem lib. VII. Poſſidonium. Raphaelem Volaterranum Geograph. lib. VII. pag. 221. Adamum Mathæum a Michanu. Scholiaſten Pindari ad oden 3. Olymp. Deſiderium Heraldum lib. ad Jamblichum cap. 7. animad. Callimachum hymn. in Delum. *Hominem* etiam *immolarunt Iunoni Falerii*. Plutarchus in parall. pag. 314. *Salaminenſes Agraulo* ſive *Minervæ Agrauli.* Porphyrius lib. II. & *Laodicenſes Minervæ.* Idem lib. II. *Athenienſes Neptuno*; Hyginus fab. 46. & *Ninivitæ.* Sulpitius lib. XII. atque *Trojani*; Hyginus fab. 89. *Diis Marinis Græci*; Prodromus lib. I. Cointhus Smyrnæus lib. XII. *Baccho Potniarum incolæ apud Thebas.* Pauſanias: atque etiam *Romani*, Livius lib. XXXIX. p. 856, 857, 858. & Tertullianus p. 819. in apolog.

log. *Baccho Omodio ſive Ferino Chienſes.* Evelpis Caryſtius, & Porphyrius lib. II. *Hunc Arabes appellarunt* Δυσάρην, ut Heſychius author eſt, *Nabatæi* ἰσίδωρον; hinc Tertulliano lux affunditur in apolog. contra gent. p. 861. *Unicuique Civitati ſuus Deus eſt, ut Syriæ Aſtartes, Arabiæ Diaſares*; forſitan ibi igitur *Dyſares* corrigendum eſt. Nam & Stephanus Byzantius Δύσαρον vocat, Arabice *dauſar*, & *Priapum denotare* cenſet, quem Iſidorus Originum lib. VIII. cap. 2. per *Baal-pehor* ſive *Baal-phegor* exprimit. *Epidauri cruenta hoſtia Æſculapius lenitus eſt.* Suidas in Epidauro. & Hieronymus Wolfius Suidæ interpres; *Furiis Mithridates Rex Ponti.* Atque *Pavori Corinthii.* Pauſanias lib. II. *Patriis Heroibus Cretenſes.* Parthenius cap. 35. *Diis Penatibus Cherſoneſi incolæ.* Philarchus ex Hygino. *Iulii Cæſaris manibus Auguſtus.* Suetonius in Octavio cap. XV. p. 67. & *amicorum inferiis quam plurimi*, de quibus infra prolixe agemus. Eodem etiam modo fœmina *Ameſtris*, quæ *Xerxi* fuit *uxor*, *Plutoni duodecim* pro ſeſe *vivos homines defodit*: quem quidam *Ditem* atque

Ha-

Haden vocant. Plutarchus de ſuperſtit. pag. 171. Quem *Ditem Romani hominum devotione quoque coluerunt*. Halicarnaſſeus Antiquit. lib. II. c. 10. p. 83. & *Plutonem Perſæ*. Herodotus lib. VII. p. 407. Seneca de ira lib. III. cap. 16. p. 51. Inter cruenta Septentrionalium ſacrificia frequens fuit *Alfblot* dictum, quod *Diis ſubterraneis erat dicatum*. Alphur enim ſpectra cautium montiumque nuncupabant, quibus, ne nocerent, ſua quoque dicata erant ſacra. Hinc Sigvaldus Poeta, ſeu Scalder Olai Heraldi Norvegorum Regis filius, in itinere a fœmina quadam, prætendente ibidem loci Alfblot celebrari, hoſpitio excluſus in hæc erupit.

Apageſis miſelle juvenis, dixit fœmina,
Iram metuo Odini, Ethnici enim ſumus.
Peſſima fæmina! quæ ſine cauſa me expulit,
Inſtar lupi, prætendens Alfi ſacra *ibidem*
peragi.

Cum enim Sigvaldus hic Chriſtianus eſſet, & S. Olao Regi Norvagiæ a conſiliis, eum ut abſterreret & hoſpitio excluderet, callide mentita eſt ſe ethnicam eſſe, atque *in ſuis ædibus celebrari horrenda illa ſa-*

crificia, quæ Alfblot vocabant; ſicut narrat Olaus Wormius lib. I. monument. Danicor. cap. 5. *Thraces Pleſtorum* ſic *venerati ſunt*. Herodotus lib. IX. p. 540. *Oebazum in Thraciam fuga elapſum Thraces Apſinthii exceptum, Pleſtoro indigenæ Deo ritu ſuo immolaverunt*; *Sed *dæmonium Zamolxin Getæ humanis victimis coluerunt*. Herodotus lib. IV. p. 249. ſicut *centauro Chironi & Peleo in Thracia urbe Pellene victimas etiam humanas oblatas fuiſſe* auctor eſt Monimus in Rerum Mirabilium Collectione. Verum enim vero *Americanis* idolo ſuo *Zemi ſanguinem humanum libare gentile eſt*. Martyr decade V. cap. 10. p. 432. collat. cum decade VII. cap. 10. p. 522. in deſcriptione novi orbis. *Zemi* hic ſive *Sem filium Noachi fuiſſe* haud a veritate abludere videtur, quem Americani tanquam generis ſui & gentis authorem poſt fatum conſecrarunt, & veluti numen adorarunt, prout reliqui orbis terrarum populi primos ſuos conditores aut divinis honoribus poſt mortem proſecuti ſunt, aut eorum nomine Reges ſuos cognominari voluerunt, ut ſuo loco indicatum

eſt;

eſt; quamquam non ſum neſcius, quod multi Americanos ex Japeto ejuſque poſteris eſſe prognatos dicant; ſed in hanc quæſtionem jam diu agitatam non altius me immittam. Inſularum quoque incolæ, queis America prætexitur, numen ſuum nomine *Chemijn* exprimunt teſte Charles de Rochefort in Hiſtor. Inſul. Amer. c. XIII. p. 359. Et cum Cham filius Noæ alter, poſterique ejus ſe per Arabiam, Ægyptum, & Africam diffuderunt, ſicut Semi Nepotes ſe ab Euphrate Orientem verſus diſperſerunt, exinde apud quoſdam earum regionum populos nomen Cham adhuc reſidet, quo Principes ſuos honoris & dignitatis gratia inſignivérunt. Ab hoc Chamo idolum Moabitarum nomen indeptum fuiſſe exiſtimo, de quo 1 Reg. XI. 7. 33. 2 Reg. XXIII. 13. Jerem. XLVIII. 7. 13. licet eorum authoritatem hoc ſtatuendo elevare nolim, qui per illud dæmonium Chamon Deum κῶμον commeſſationum numen ſive Bacchum intelligunt. Nec καινότατον eſt, ſi dicamus, ex eodem fonte vocem idoli Sammael promanaſſe, quod

a Sabæis veteribus maximo honore cultum, & reliquis Deis prælatum eſt, de quo conſule Hottingerum Hiſtor. Orient. lib. 1. cap. 1. p. 184. Hoc dæmonium etiam Judæi, ut ab ejus tentationibus & afflictionibus liberarentur, ſacrificiis coluiſſe feruntur; unde Elias in ſua Thiſby; *dadonum Samaeli die tentationis* ait. Sed ut curioſo lectori gratificaremur, verbo reliquorum Deorum catalogum percenſebimus, quos a majoribus noſtris Germanis Septentrioniſque populis obſervatos religioſe fuiſſe conſtat, ſed an humanis ſacrificiis culti fuerint, incertum eſt. Cujuſmodi fuere *Iomalam numen Biarmiorum.* Hiſtor. Olai Craſſi. *Redigaſt Sclavorum.* Adam. Bremenſis lib. III. c. II. *Nehallenia, Labra, Welda, Aulrima, Retto, Iecha, Siba, Swanteriſt, atque Goea Nori filia a Suecis pro Dea culta.* de hac Arngrimus in ſupplemento rerum Norvagicarum. In hunc cenſum & relatus *Fro Deorum Satrapa*, ſicut teſtis Saxo lib. III. & *Mithotin Deorum Pontifex, Vagnoſthus, Hadingus, Ugartilochus.* Olaus Wormius hos recenſet lib. 1. Monument. Da-

Danicor c. 4. Hujus claſſis & ſunt *Haldanus*, de quo Saxo lib. VII. & Deus *Wig*, cujus meminit Elnottus in vita S. Canuti, cap. 23. & Breviarium Slesvicenſe. *Vagnoſtus* & *Haddingus præſidiarii in bellis Dei. Roſtiphus exquiſitis præſcientiæ ſtudiis celebris. Roſtarus ſtupendæ immanitatis; Mara nocturnum ſpectrum dormientibus inſidioſum. Neccus* ſive Necca *maris quaſi præſes*; aliique: de quibus inſpice Johannem Waſthovium in præfatione ad vitas Sanctorum. His adiiciantur idola *Krodan Saturni vices ſuſtinens*, de quo Andreas Vellejus ad Hiſtoriam Adami Bremenſis. Et *Iodut*, *quod in anguſtiis & doloribus conſtituti invocare ſolebant*. Thurius l. v. deflorat. Antiquit. Saxon.

CAP. XI.

Immolarunt olim filios & filias, infantes, pueros, puellas, virgines. Parthenius illuſtratur. Virginitas Diabolo offertur: virginitatis nota. Catullus explicatur. Diabolo mactatæ mulieres, juvenes, viri, ingenui, nobiles, vegeti, ſani. Prodromus illuſtratur. Adhibebantur quoque ad hoc formoſi. Damaſcenus defenditur. De-

formes, ſcelerati, nocentes, rei, captivi, ſervi. ſervæ, pauperes, contribules, hoſpites & exteri.

IAm videndum eſt, *quinam huic diro ſacrificio fuerint a Gentiliſmo devoti?* Hi autem proh nefas! non pecudes ſed homines fuerunt ad imaginem divinam creati. Unde Auſonius Edyl. XII. pag. 116.

Fas hominem mactare ſacris: Ferus iſte loci mos.

Mos ferus audacis populi; quem nulla tenet lex.

Imo hic ferus mos ita humanum genus tranſverſum egit, ut hominem & patrem exuentes Judæi non erubuerint comburere & *immolare primogenitos*, Ezech. XX. 26. *Saturnus filium unigenitum Cœlo.* Philo Biblius. *Quidam ex Haliarti terra proprium filium Lophin.* Pauſanias lib. IX. pag. 691. *Iudæi gnatos*, Ezai LVII. 9. 10. *filios & filias.* 2 Reg. XXIII. 10. & *Tyrii*: unde Empedocles apud Plutarchum de ſuperſtitione pag. 171. Μορφὴν δὲ ἀλλάξαντα πατὴρ φίλον υἱὸν ἀείρας, Σφάζει, ἐπευχόμενος μέγα νήπιος.

Mutata genitor jugulans ſua pignora forma

Im-

Immolat, & vanis ſtultus ferit aera votis.

Q. Ennius idem ſcelus indicare videtur. *Virgines nam ſibi quiſque domi Romanus habet ſas.*

Impetus aut longe mediis regionibus reſtat.
Quærunt in ſcirpo (ſoliti quod dicere) nodum,
Occiduntur ubi potitur ratus Romulus præda.
Ille ſuos divis mos ſacrificare puellos.
Adverſabantur ſemper viros noſtraque vulta:

Hanc conſuetudinem *proprios liberos & filios Saturno mactandi* veluti legem *Carthaginienſes* a colonis ſuis Tyriis ſive Phænicibus acceperunt, & diu intemeratam tenuere. Audiatur Plato in Protagora. *Neque enim leges noſtræ homines ſacrificare permittunt. Apud Carthaginienſes autem ſanctum habetur, adeo ut eorum nonnulli Saturno etiam filios immolare ſibi permittant.* Sic etiam in Septentrionalibus regionibus ab *Haquino Norvegiæ Rege proprius filius in hoſtiam eſt mactatus*; Saxo Hiſtor. lib. x. *proprii filii & uxores a Gallis*; Juſtinus l. xxvi. p. 143. ſic & *Marius Romanus ille Princeps filiam ad modum victimæ jugulavit.* Cyrillus contra Julianum. & *Leus Athenienſis proprios filios Deis ſacravit.* Libanius declamat. xxvii.

& incolæ in regno Biaſar in Africa. Dapperus deſcript. Africæ. Et *Iephthe filiam.* Sulpitius Severus lib. I. cap. 45. & *Erechtheus.* Hyginus fab. 46. Euripides Jon. Apollodorus lib. III. Euripides Heraclid. atque etiam *Cydon Rex Cretæ.* Parthenius Erotic. cap. 35. Et licet reliqui populi diram illam Phænicum & Carthaginienſium (de quibus etiam Diodorus Siculus lib. x. Bib.) morem, hominumque ſupra commemoratorum feritatem non fuiſſe imitati, & a filiorum & filiarum cædibus abſtinuiſſe videantur, tamen impias & cruentas manus *infantibus immolandis* injecerunt & commodarunt; veluti *Sabæi.* Hottingerus Hiſtoriarum Orientalium lib. I. cap. 8. pag. 181. *Ægyptii & Alexandriæ* urbis *incolæ* Sabæos in hoc æmulati; de quibus fuſe ſcribit in Hiſtoriis Eccleſiaſticis Ruffinus lib. II. cap. 24. pag. 200. *Maxentius.* Euſebius lib. VIII. Eccleſ. Hiſtor. cap. 15. pag. 99. Cuſpinianus de Conſtantino Magno. aliique. Imo *Gnoſtici* tanto furore correpti fuerunt, ut *ad hoc ſacrificium in ſantibus recenter natis uſi fuerint.* Rhodigi-

nus

nus ex Epiphanio Antiquar. Lect. lib. II. cap. 16. pag. 79. & *Scordiſci gravidarum partus tormentis extorſerint.* Florus lib. III. cap. 4. *aliique alia inhumana circa infantium immolationem perpetraverint.* Ammianus Marcellinus lib. XXIX. Philoſtratus lib. VII. cap. 5. De Apollonio. Porphyrius lib. II. de abſtinent. *Hoc* idem *ſacrificium in liberis ſuis a Gallis* perpetratum & obſervatum his verbis apud Romanos lamentantur Italiæ incolæ; Livius l. XXXVIII. p. 844. *Quoties prædæ abactæ: cum vix redimendi captivos copia eſſet, & mactatas humanas hoſtias, immolatoſque liberos ſuos audirent.* Eodem etiam modo *Americani lactentes fœtus* occiderunt, & hodie adhuc occidunt. Martyr. de novo orbe. decade VII. cap. 10. pag. 526. Sic etiam *pueros ad aram Menelaus obtruncavit.* Herodotus lib. II. pag. 130. *Puerosque immolarunt & Cretenſes.* Apollodorus lib. III. Tzetza Chil. XI. cap. 379. Plutarchus in Theſeo. pag. 61. *Thebani.* Apollodorus lib. II. Biblioth. ſive de Diis. *Græci.* Herodotus lib. II. pag. 130. *Romani.* Juvenalis Satyr. VI. pag. 54. *Alexandrini*

Soc.

Socrates lib. III. cap. 2. *Pellionis incolæ.* Arrianus de expedit. Alexand. lib. 1. p. 13, *Calvocani in America*; Martyr de novo orbe decad. IV. cap. 8. pag. 314. *Imperator Iulianus Apoſtata.* Theodoritus lib. III. cap. 22. Hiſtor. Eccleſ. Xiphilinus in Juliano. Tertullianus Apolog. p. 195. *Heliogabalus.* Zonara tom. II. in ejus vita. *Conſtantinusque Copronymus Cæſar.* Suidas vitæ Cæſar. de Conſtant. Copron. aliique populi, & inhumani homines, ſive monſtra potius, de quibus conſulantur. Dion lib. XXXVII. & XLVII. pag. 156. Philoſtratus de vita Apollonii lib. VII. cap. 2. & 5. & 10. Socrates Hiſtor. Eccleſ. lib. III. cap. 11. Herodotus lib. III. pag. 161. Ruffinus Eccleſiaſt. Hiſtor. lib. XI. cap. 4. Quos imitati quidam *Americani* hodie etiam non tantum puerorum ſed & *puellarum ſacrificiis* gaviſi ſunt. P. Matyr de Orbe Novo decade IV. cap. 8. pag. 314. *Horrendum facinus in ſacrificiis & iſtorum tractuum habitatores omnes pro victimis pueros puellaſque immolant.* Quippe nec his pueris Gentiliſmus contentus fuit, ſed in teneras etiam *puellas*, illibataſ-

taſque *virgines* ſumma crudelitate ſæviit, quas veluti *hoſtias Deis* & *dæmoniis ſuis* conſecratas immolarunt *Laodicenſes* circa Syriam habitantes. Porphyrius lib. II. de abſt. Ἐθύετο γὰρ καὶ ἐν Λαοδικείᾳ τῇ κατὰ Συρίαν, τῇ Ἀθηνᾷ κατ' ἔτος παρθένος. νῦν δ' ἔλαφος. *Sacrificabatur enim quotannis in Laodicea circa Syriam virgo Minervæ; Cujus loco nunc ſubſtituitur cerva.* Sic etiam *virgines immolarunt Trojani*; Hyginus fab. LXXXIX. *Græci.* Ovidius lib. XII. Metamorph. p. 344. Hyginus fab. CCLXI. Meryllus lib. I. Beoticor. Seneca Troad. act. II. pag. 339. Euripides. Heraclid. Sophocles in Electra pag. 652. & 656. *Cretenſes*; Apollodorus, lib. III. Tzetza chil. XI. cap. 379. Plutarchus in Theſeo. Parthenius Erotic. cap. 35. ex Aſclepiade Myrleano in Bithynicis lib. I. *Temeſſenſes:* Pauſanias lib. VI. pag. 417. *Meſſenii.* Pauſanias lib. IV. pag. 278. *Lacedæmonii.* Plutarchus in Parall. pag. 314. *Faleriis*; Idem eodem in loco. *Ægyptii*; Achilles Tatius l. III. Amor. *Pellionis incolæ.* Arrianus lib. I. p. 13. de expedit. Alexandri. *Mithridates Rex Ponti*; Julius Obſequens de prodigiis.

L.

L. Sylla & Pompeio Coſſ. & *Magnentius* Zonara tom. III. de eo, & *Æthiopes.* Heliodorus lib. x Æthiop. Apud hos autem Juvenes ex concubitu cum muliere inquinati, & puellæ virum paſſæ atque defloratæ ad hoc horribile ſacrificium, quod in honorem Solis & Lunæ fiebat, inepti & inhabiles cenſebantur, quapropter, antequam immolarentur, virginitatis tam viri quam fœminæ periculum faciebant, & experimentum capiebant. Heliodor. lib x. Æthiop; de Juvenibus modum explorationis ita docet Ἐπεὶ δὲ καὶ Θεαγένης ἐπιβὰς καθαρεύων ἐφαίνετο, θαυμασθεὶς πρὸς ἁπάντων, τῷ τε ἄλλῳ τοῦ μεγέθοις καὶ κάλλοις, καὶ ὅτι περ οὕτως ἀκμαῖος ἀνὴρ, ἀπείρατος εἴη Ἀφροδίτης, πρὸς τὴν ἡλιακὴν ἱερουργίαν ηὐτρεπίζετο. Quæ Clariſſimus Johannes Bourdelotius ita latine vertit. *Poſtquam autem & Theagenes, cum conſcendiſſet, mundus eſſe apparuit, omnium admiratione exceptus, cum propter proceritatem & pulchritudinem, tum eo quod vir adeo florenti ætate, rerum Venerearum expers eſſet, ad Solis ſacrificium inſtruebatur.* Idem Heliodorus de puellis ita. Ἓν μόνον ἂν βοηθήσειεν, εἰς τῆς ἐσχάρας τὴν ὄιαθεν ἐπιβᾶσαι, μὴ ἀ-

γνε-

γευσάσα πως ὁμιλίας τῆς πρὸς ἄνδρας ἐλεγχθείη. Καθαρὰν εἶναι τὴν προσκομιζομένην τῇ θεῷ, καθάπερ οὖν καὶ τὸν ἡλίῳ, τοῦ νόμου κελεύοντος. ἐπὶ δὲ τῆς τοῦ Διονύσου θυσίας ἀδιαφοροῦντος. Quæ latine ita ſonant. *Unum tantum illi adjumento eſſe poßit, ſi poſtquam focum, ut ſcis, conſcenderit, non ſe ſervaſſe expertem conſuetudinis virorum deprehenſa fuerit: cum lex mundam eſſe eam, quæ offertur Deæ, ſicuti & Soli jubeat, de Bacchi vero ſacrificiis ſit indifferens.* Parthenio in Eroticis cap. 35. hæc Æthiopum conſuetudo lucem commodat; ubi narratur, quod, cum ex oraculi reſponſo puella immolanda eſſet, ſors obtigerit Eulimenæ ipſi Cretenſium Regis filiæ, quam Licaſtus ejus amaſius periculo & morti eripere, atque ab immolatione liberare ſatagebat, dicendo, *illam non eſſe virginem*, καὶ ὡς ἐκ πολλοῦ χρόνου συνείη αὐτῇ *& quod multo jam a tempore cum illa coierit*, & ſic μόλυνει τὸ φθορεῖν *indicat corruptionem*: quare circa umbilicum a ſacrifico diſſciſſa εὑρέθη ἔγκυος *inventa eſt prægnans*. Et non modo virgines in victimas mactari earumque ſanguinem libari, ſed etiam ipſam *puellarum virginitatem deflorandam, virgineumque*

cruorem ſibi offerri voluit Diabolus. Nam quidam Indiæ populi *filias & virgines ſuas*, cum viri patientes ſunt, ſplendide ornatas, magno amicorum comitante caterva, magnaque cum pompa ad templum deducunt, in quo Diabolus magno priapo prominente laſciviens exſculptus adoratur: cum ibi puella virginitatem ſuam Diabolo oblatura, ex doloris timore fœminal rigido illi dæmonis faſcino applicare tergiverſetur, tandem multis perſuaſionibus comitantium fœminarum inducitur, ut pudendum ſuum admoveat, quo facto, ex improviſo ita protruditur, ut virginitate ei erepta priapus ille puellari ſanguine nobilitatus conſpiciatur. Vide Johannem Mandelſlo cap. 1. Itinerar. Hugonem Linſchoten part. 11. cap. 23. Itinerar: Stephani van der Hagen. pag. 5. Nam ſanguis in primo concubitu ex virginis pudendo profluens certum virginitatis indicium habetur apud Fezenſes in Africa, ubi poſtquam ſponſa a ſponſo eſt deflorata, amicis in alio cubiculo convivantibus linteolum ſanguine ejus infectum oſtenditur, unde tanquam ex
certo

certo ſponſæ virginitatis indicio, magnum gaudium & exſultatio inter convivas exſurgit. Vide hunc ritum fuſe deſcriptum a Leone Africano in deſcript: Africæ lib III. cap. 34. pag. 218. 219. Wilhelmo Litgouw in itinerario ſuo: Johanne Twiſt in deſcript. Guſſarat cap. 28. p. 49. aliiſque: eundem fere morem etiam a Muſcovitis hodie obſervari, ni fallor, me legiſſe memini apud Adamum Olearium. Imo lodices virgineo iſto cruore delibuti ſecundo a nuptiis die tanquam trophæa in Hiſpania publice ex feneſtris prætereuntibus conſpiciendi ſuſpenduntur. Sed ſicut hoc ſanguinis profluvium, ubi adeſt, certus virginitatis index eſt, ita cum abſit, puellam antea fuiſſe corruptam non ſequitur juxta Bartholinum Anatom. Reformat. lib 1. cap. 31. Nam nec hymenem pelliculam, in qua virginitas conſiſtat, dari, nec in eo conſiſtere virginitatem contra Canonhierum in Aphoriſ. Hippocratis pag. 427. quidam ex recentioribus Anatomicis opinantur. Conſule Cornel: a Lapide. Willetum, Rivetum ad Exod. XXII. Commen-

mentarios. Severinum Pinæum in tractat. de not. virginit. Nec exacte explorari poſſe an virgo corrupta fuerit, Cyprianus lib. Epiſtolar. 1. epiſt. 11. indicat: *Nec aliqua putet ſe hac excuſatione defendi, quod & inſpici & probari poſſit, an virgo ſit, cum & manus obſtetricum & oculi ſæpe fallantur.* Auguſtinus lib. 1. cap. 18. de civitate Dei improbat conſuetudinem hanc diabolicam virginitatem explorandi, quæ antiquis temporibus familiaris admodum fuiſſe videtur. *Obſtetrix*, inquit divus Auguſtinus, *virginis alicujus integritatem manu velut explorans, ſive malevolentia, ſive inſcitia, ſive caſu, dum inſpicit, perdidit.* Adde Victorem Uticenſem lib. 11. Perſecut. Vandal. f. 16. *Præcepit deinde ſacras Virgines congregari, dirigens Vandalos cum ſuæ gentis obſtetricibus ad inſpicienda & contrectanda contra jura verecundiæ verecunda pudoris, ubi nec matres aderant, nec aliqua Matronarum, &c.* Romani vero infallibile nondum adulteratæ virginitatis eſſe indicium ſtatuebant, ſi novæ nuptæ collum a primo ſtatim congreſſu intumuiſſet; inſpice de hac re Catullum in epithalam. eleg. 63.

Non

Non illam nutrix orienti luce reviſens,
Heſterno collum poterit circumdare filo.

Doctiſſimus Mercurialis in hunc locum ita ſcribit. *Cum virgo nupta prima nocte cum marito concubitura erat, colli menſuram filo circumdato capiebant. Poſtero mane eodem filo colla menſurabant; quod ſi latius, quam ut filo comprehenderetur, inveniebant, defloratam ea nocte eſſe pro certo habebant. Sin vero nihilo majus evaſerat adhuc pro integra habebant, aut antea fuiſſe devirginatam cenſebant. Neque id abſque ratione factum videtur.* Rationem ſufficientem vide apud Ariſtotelem lib. VII. de Hiſtor. Animal. & Bartholinum lib. II. cap. 13. *Ab uſu,* inquit, *Veneris colli mutatur craſſities, quod calor diſtendit arteriam aſperam, carotides, & jugulares, &c.* Sed hæc occaſione data obiter perſtrinximus. Ad viam vero ex qua deflex imus, revertamus. *Dæmonibus* etiam antiquitus *in hoſtiam obtulerunt mulieres.* Libanius Sophiſta de vita ſua. *Uxores Galli,* Juſtinus lib. XXVIII. pag. 143. *pueros pubeſcentes Potniarum incolæ.* Pauſanias lib. IX. Herodotus lib. VII. *Britones,* Galfredus Monumetenſis lib. VI. c. 17, 18. pag. 47.

Vi-

Viros Auguſtus Cæſaris manibus. Dion lib. XLIII. Nam vero quod *qualitates harum* cruentarum & humanarum *victimarum* ſpectat, ad hoc diabolicum ſacrificium deſtinaverunt Tyrii *ingenuum puerum.* Curtius lib. IV. pag. 43. *Carthaginis incolæ nobiles.* Lactantius lib. I. de falſa Rell. cap. 21. pag. 57. imo *nobiliſſimos & nobiliſſimorum filios.* Diodorus Siculus lib. XX. Bibliothec. *Ameſtris* Xerxis Perſarum Regis uxor *illuſtrium Perſarum gnatos.* Herodotus lib. VII. pag. 407. Quos imitatus fuiſſe videtur monſtrum illud naturæ Hiliogabalus, de quo Ælius Lampridius de Heliogabalo pag. 156. *Cadit & humanas hoſtias lectis ad hoc pueris nobilibus patrimis & matrimis, credo ut major eſſet utrique parenti dolor.* Sic etiam *Cheruſci, Suevi, Sicambri viginti centuriones in holocauſtum cumbuſſerunt.* Florus lib. IV. cap. de bell. contr. gent. exter. Ita etiam in ſacrificium *Deis puella nobilis eſt oblata a Trojanis.* Servius ad lib. I. Æneid. *ab Argivis* ob violatam ab Ajace in Minervæ templo Caſſandram; Servius ad lib. I. Æneid. & virgo *nobilis in Cherſoneſo.* ut docet apud Hygi-

ginum in fabulis ſuis Philarchus. Ejus verba in poſterioribus exhibebimus. Unde etiam forſitan cum incolæ diſtrictus Nidroſienſis Chriſtiana ſacra amplecti recuſarent, atque Regem ſuum Olaum Tryggonis filium ad ethniciſmum ſe vi reducturos minarentur, reſpondit, ſe Diis eorum ita *furvis hoſtiis litaturum*, ut in eum uſum non ſervi & vilioris conditionis homines ſeligerentur, ſed *Magnates*, & qui reliquis præeſſent. Quibus commoti ab idololatria deſiſtere coacti ſunt. Sunt verba Olai Wormii lib. 1. c. 5. Monument: Danicor. Hi miſeri homines mortis candidati *Heliopoli* in Ægypto debebant eſſe *καθαροὶ vegeti*, & *corpore & anima ſani*; Manethon in libro de pietate & inveterata ignorantia. Ἐθύοντο τῇ Ἥρᾳ καὶ ἐδοκιμάζοντο, καθάπερ οἱ ζητούμενοι καθαροὶ μόσχοι καὶ συσφραγιζόμενοι. Ἐθύοντο δὲ τῆς ἡμέρας τρεῖς. *Sacrificabant Iunoni tres homines, qui explorati non ſecus ac vituli vegeti & laudabiles aris die ſacrificii dicato imponebantur.* Adde Porphyrium lib. 11. de Abſtinent. Unde etiam quidam gentiles eos, *qui corporis aliquo vitio laborabant*, tanquam minus idoneos,

H De-

Deiſque indignos, ab *hoc ſacrificio eximebant*, nec nefandis admovebant aris. Sic explicari debet locus Prodromi lib. VII. De Amor. Rhodantes. *Quod ſi non bove ſed humana victima Numen placare videbitur, an claudum, cæcumque, ac muccidum ſenem, nimia jam ætate tremulum, incurvum, lippum, edentulum, podagroſum, calvum, vel prolixo capillitio deformem, graveinque animam ſpirantem ſacrificabo? an ita homines affectos Diis gratos habebunt?* Imo etiam *apud Æthiopes* flore & *forma excellere debebant*; ſicut Heliodorus libro nono Æthiopic. teſtatur, δέκα δὴ νέοις, κόρας τε ἰσαρίθμους τῶν ἐν ἀκμῇ καὶ ὥρᾳ διαπρεπέστων ἐπιλεξάμενος ἅμα τοῖς περὶ τὸν Θεαγένην, ἐφ᾽. ὁμοίαν τὴν χρείαν ἀνάγεσθαι προσέταξε. *Decem utique juvenes electos & totidem virgines ætatis flore & forma excellentes una cum Theagene ad eundem uſum duci juſſit (ad victimam).* Juvenalis Satyra XII. p. 104. de formoſis idem innuit.

Alter enim ſi concedas mactare, vovebit
De grege ſervorum magna & pulcherrima quæque
Corpora, vel pueris & frontibus ancillarum
Imponet vittas

Ita

Formoſi etiam in Cypro in urbe Piſſa macta-bantur. Prodromus lib. v. *pulcherrimum-que* quemque *Achæi immolarunt.* Audiatur Appianus Alexandrinus de bellis Mithridaticis pag. 161. (Achæos) *in tantam deveniſſe rabiem, ut Scythico more, quotquot græcos in poteſtatem redegiſſent, mactarent pro victimis, primum nullo diſcrimine, procedente vero tempore pulcherrimum quemque, poſtremo ſorte ductos.* Hoc idem fabuloſa Barlaam Hiſtoria docet, quæ falſe Damaſceno adſcribitur. *Ideoque veni* (loquitur Theodas Magus) *ut lætabundam ſolennitatem ſimul celebremus, juveneſque pulcherrimos, & decoras virgines immortalibus Deis ſacrificemus.* Sic etiam *Temeſſæ* in Italia *virgo* omnium puellarum *formoſiſſima* immolanda erat, ut docet Pauſanias lib. vi. Hiſtor. pag. 417. adde Hyginum fab. cx. Contrarium apud *Græcos* obtinebat, apud quos qui peſtem morte ſua expiaret & profligaret, *deformiſſimus* eſſe debebat apud Tzetzam chil. v. c. 23. Hiſtoriarum ſuarum: idem etiam teſtatur Hipponax in ſuis Hiſtoriis de hac piaculari victima. Et *ſceleratos Deis gratiores victimas arbitrabantur Ger-*

mani, qui ubi deficiebant, immolabant inoncentes. Aimoinus lib. I. cap. 7. Hiſtor. Francic. ſicut *Rhodii nocentes, reos, & condemnatos.* Porphyrius lib. II. de abſtinent. *Galli captivos*; Aimoinus lib. I. cap. 7. Cæſar de bello Gallico lib. I. pag. 35. & lib. VI. pag. 132. (ſed de his in ſequentibus prolixius.) *Tenuſtitani in America ſervos pretio emptos, & filios dedititios.* Matyr decad. V. cap. 3. pag. 353. *Athenienſes ſervos.* Hyginus fab. CCLXI. *Maſſilienſes pauperes.* Petronius Arbiter Satyr. pag. 149. ſicut etiam Carthaginienſes, qui ἄπαιδες & ſine prole erant, a pauperibus puerulos coemebant, quos Saturno comburendos offerrent, veluti docent Plutarchus de ſuperſtitione, & Diodorus Siculus lib. XX. imo *contribules* quoque ſuos antiquitus *immolarunt.* Porphyrius lib. II. de abſtinentia, *& hoſpites, exteros, & advenas,* veluti Buſiris, de quo M Felix in Octavio pag. 21. *Tauris etiam Ponticis, & Ægyptio Buſiridi ritus fuit hoſpites immolare*: addantur Philargyrius in 2 Georg. pag. 8. Juſtinus cohortat. ad Græc. Oroſius lib. V. c. I. Apollodorus lib. II.

Bibliothecæ pag. 104. Freculphus Chronic. lib. 11. cap. 9. Hyginus fab. LVI. & XXXI. Ivo Carnotenſis in Hiſtor. ita de eo ſcribit. *His quoque diebus Buſyris filius Neptuni ex matre libia Paphi filia, ſuis Diis hoſpitis ſuos immolabat.* Addatur Agatho Samius apud Plutarchum in Parallelis p. 315. Βούσιρις παῖς Ποσειδῶνος καὶ Ἀνίππης Νείλου τοὺς περιόντας ὑπούλῳ φιλοξενίᾳ κατέθυε. *Buſiris Neptuni filius & Anippa Nilo genita pretereuntes ſimulata hoſpitalitate exceptos mactabat.* Hunc *Scythæ* imitati ſunt, qui *Dianæ* pro hoſtiis *advenas, naufragos,* & *hoſpites jugulare* pro conſuetudine habebant: Audi Athanaſium contra gentes ex verſione Petri Nannii pag. 21. *Scythæ enim, qui Taurici dicuntur virgini ſuæ (ſic enim Dianam vocant) naufragos, & quoſcunque ex Græcis ceperunt, pro hoſtiis jugulant.* Gregor. Nazianzenus Monod. in Baſilii Magni vita idem teſtatur. *Felicius item hic cervina carne divinitus ſuſtentari, quam Iphigenia illa apud Aulidem a morte per cervam liberata, quæ (cum ſi vera eſt fabula) pietatem ex Diana inveniſſet, non reddidit tamen, ad aram Scythicam in Tauris tranſlata eſt, ubi hoſpitum ſangui-*

guine placatur. Audiatur etiam Hyginus fabula CXX. *Quorum* (Tauricorum) *fuit inſtitutum, ut qui intra fines ſuos hoſpes veniſſet, templo Dianæ immolaretur; ubi Oreſtes & Pylades cùm in ſpelunca ſe tutarentur, & occaſionem captarent, a paſtoribus deprehenſi, ad Regem Thoantem ſunt deducti. quos Thoas ſuo more junctos in templum Dianæ, ut immolarentur, duci juſſit.* Et P. Mela lib. II pag. 59. *Tauri Iphigenia & Oreſtes adventu maxime memoroti, immanes ſunt moribus, immanemque famam habent; ſolere victimis advenas cædere.* Lucianus in Deor. Dialog. p. 18. οἱ δὲ σοὶ παῖδες ἡ μὲν αὐτῶν ἀῤῥενικὴ πέρα τοῦ μέτρου, καὶ ὄρειος, καὶ τὸ τελευταῖον ἐς τὴν σκυθίαν ἀπελθοῦσα, πάντες ἴσασιν οἷα ἐσθίει ξενοκτονοῦσα, καὶ μιμουμένη τοὺς σκύθας αὐτοὺς, ἀνθρωποφάγους ὄντας. Quæ Jacobus Mycillus ita vertit. *Contra autem liberorum tuorum altera* (Diana) *quidem virilis ultra modum, & montivaga eſt, & poſtremo in Scythiam quoque profecta, omnes ſciunt, qualia comedat hoſpites mactando, ac Scythas ipſos imitando, qui humana carne veſcuntur.* Conſule præterea de his Nicetam Choniat. in vita Andronici. Tertullianum apolog p. 825. Ammianum Mar-

cel-

cellinum lib. xxii. pag. 391. Anacreontem de poculo argenteo. Prudentium lib. ii. alioſque. Eadem conſuetudo etiam ab *Æthiopibus* obſervata fuiſſe videtur. Adi Heliodorum lib. x. Æthiopic, ubi ſic ſcribit ξένοις, ὦ βασιλεῦ, ἢ καὶ ἐγχωρίοις ἱερουργεῖσθαι κελεύει νόμος; τοῦ δὲ, ξένοις εἰπόντος. Paulo poſt hæc ſubjecta verba ſequuntur. ξενοκτονεῖν μὲν ἴσως, ὦ βασιλεῦ, ὁ νόμος ἐπιτρέπει. τεκνοκτονεῖν δὲ οὐδ᾽ ἡ φύσις σοι πάτερ ἐφίησι. *Peregrinoſne Rex an indigenas mactari jubes? hoc vero peregrinos dicente: Peregrinos quidem Rex mactare fortaſſe lex permittit, liberos autem mactare neque hæc, neque natura ipſa pater concedit.* Herodotus lib. ix. pag. 540. ſcribit, *Thraces* etiam *Deo Pleſtoro* cruenta & abominabili *Hoſpitum mactatione* adulatos fuiſſe, *quos* etiam *Deis immolarunt Romani*; Livius lib. xxii. pag. 394. & *Ceraſta.* Ovidius Metamorph. lib. x. p. 291. & *Lucurgus*: Nonnus Dionyſ. lib. xx. *Lycaon.* Servius Honoratus ad lib. i. Æneid. v. 735. *Sithon* Nonnus Dionyſ. lib. ult. *Bebricii Regni Rex Amycus.* Valer. Flaccus Argonaut. lib. iv. *Lycus* Martis filius, de quo videatur Juba lib. iii. Lybico-

rum de Diomede vinĉto. Μετὰ τὴν Ἰλίου πόρθησιν ἐξεβράσθη εἰς λιβύην. ἔνθα λύκος ἦν βασιλεὺς, ἔθος ἔχων τοὺς ξένοις Ἄρει τῷ πατρὶ θύειν. Καλλιρόη δὲ ἡ θυγάτηρ ἐρασθεῖσα Διομήδους, τὸν πατέρα προὔδωκε, καὶ τὸν Διομήδην ἔσωσε λύσασα τῶν δεσμῶν. *Poſt Ilii excidium Diomedes in Africam maris fluctibus ejectus eſt. Regnabat ibi Lycus Martis filius, qui peregrinos de more Patri immolabat. Sed filia hujus Calliroe patrem prodens Diomedem vinculis exſolvit.* Dercyllus Italicorum lib. III. author eſt, quod *Rex Faunus* Mercurii filius *Patri* ξένοις ἔθυεν *hoſpites mactavit*, quem Hercules occidit. Atque hæc de perſonis, quæ immolatæ ſunt, ſufficiant.

CAP. XII.

Finis horum ſacrificiorum; ut placarent Deos. Seneca explicatur. Quinam Dei & Deæ ita placati. Illuſtrantur & explicantur Pauſanias; Getulius, Saxo. Diſſenſus inter Hyginum, Euripidem, & Dorotheum. Ennius explicatur, Apollonius Rhodius, & Obſequens. Diabolus ferro fugatur. Virgilius explicatur, plurimi Authores refutati.

Ag-

AGgrediemur jam dicere *quos in fines* humanum ſanguinem ad Dæmoniorum cultum ita prodegerunt Gentiles, & *quam ob cauſam* homines hujuſmodi ſacrificiis, a quibus ipſa natura humana per ſe abhorret, ſe contemerare & inficere, animamque ſuam ad ſummi Dei imaginem creatam adulterare non refugerint. *Cauſa* igitur *finalis*, propter quam Ethnicorum luci, templa & altaria frequenter effuſiſſimo quaſi cruoris humani fluvio inundata ſtagnaverunt, non alia erat, quam opinio a Diabolo mentibus illorum impreſſa, qua diris hiſce *ſacrificiis Deorum iram averruncari* poſſe *credebant*, & ſcelerum perpetratorum impunitatem, atque cœli ob crimina commiſſa indignantis placationem & benignitatem ſibi abunde pollicebantur. Unde etiam apud Senecam Tragæd. Oedip. Act. III. pag. 239. Oedipus ita loquitur. *Etſi ipſe vultus flebiles præfert notas*

Expone, cujus capite placemus Deos?

Nam & *Americani* hodie *Deos victimis humanis* placant, ut eorum iram avertant teſte Martyre de novo Orbe Decad. IV.

c. 8. p. 313. Hæc etiam opinio *Herulis* inhærebat, de quibus Procopius lib. 11. Got. *Deorum complurium cultus, quos & humanis victimis placare fas habebant.* Et *Cypri inſulæ incolis*, & civibus Piſſæ urbis; de quibus Prodromus de Rhodanthes & Doſiclis Amoribus lib. VII. in hunc modum loquitur atque ſcribit.

Θεοῖς θύειν ἔμελλε τοῖς ἐγχωρίοις,
Θύειν δὲ καὶ τὸ κρεῖττον ὧς σύλλων λάβοι
ταῖς γὰρ ἀπαρχαῖς τοις θεοῖς τιμητέον.
Ουδὲν δὲ κρεῖττον εἶχε τοῦ Δοσικλέος
Καὶ τοῦ Κρατάνδρου τῆς καλῆς συζυγίας
ω κάλλος αἰσχρὸν, ὦ θεῶν κακὴ χάρις.
Μὴ γὰρ καλοὶ γένοιντό τινες ἐν βίῳ,
Αν εἰ κατασφάττοιντο τοῦ κάλλους χάριν.
Επέιπερ οὕτω ταῦτα, καὶ νόμος βίας. &c.

Gaulminus hæc verba in latinam linguam ita tranſfudit. *Confeſtim indigenas Deos illuſtri ex præda ſpoliiſque ſacrificio placaturus. Omnium enim rerum primitiis* Numinum pacem exorare docet. *Doſicle autem ac Cratandro ex præda receptis nihil præſtantius fuit. O turpem pulchritudinem, ingratamque Deorum gratiam! cur aliquis formoſus fuerit, ſi formæ ergo mactabitur? Verum hoc immani*

præ-

præter jus lege in perpetuum conſtitutum erat. Iam æditui rogum accenderant, ſtabantque liberi ad templi limina adoleſcentes. Illiſque proximi Sacerdotes duo ſinguli enſibus, quibus illos mactaturi eſſent inſtructi. Eodem modo *adverſa Numina placare*, eorumque iram *infanticidio* exarmare ſtuduit *Maxentius*. Cuſpinianus de Conſtantino Magno illud his verbis affirmat. *Maga improba proſpera omnia pollicetur* (Maxentio) *ſi prius cæſis infantibus placaret adverſa numina. Quod ſumma vanitate cruentus Princeps facile perfecit ſecto infante.* Sic *Corinthii* innocentium mortem, quos lapidibus temerarie obruerant, deteſtanda hac immolatione luerunt. Ita Pauſanias lib. II. *Proximum ei Medeæ filiorum ſepulchrum, quorum nomina Mermerus & Pheres; Lapidibus vero a Corinthiis obrutos memorant, propter ea, quæ a matre Glauce munera attulerunt. Sed enim, quod per vim oppreſſi innocentes fuere, nece ſua illis Corinthiorum liberi pœnas dederunt ex oraculo, & ſolennia illis ſacra fieri capta, Pavoriſque imago dedicata.* Getulii carmen ex hac hiſtoria lucem acquirit, & intelligi poteſt.

παίδων Μηδείης ὗτος τάφος, οὓς ὁ πυρίπνους
Ζῆλος. τῶν γλαύκης θῦμ' ἐποίησε γάμων.

Filiorum Medeæ hic tumulus, quos ignem ſpirans
Zelus Glaucæ hoſtiam fecit nuptiarum.

Romani etiam hoc ſanguinis flumine exardeſcentem Deorum iram exſtingui poſſe opinabantur; unde contigit, ut in *foro boariæ* in urbe *Roma Græcum* & *Græcam, Gallum* & *Gallam vivos terra obruerint*. Hoc nobis exhibet Felix. p. 91. *Romani Græcum & Græcam, Gallum & Gallam ſacrificiis viventes obruere: hodieque ab ipſis Latiaris Iupiter homicidio colitur, & quod Saturni filio dignum eſt, mali & noxii hominis ſanguine ſaginatur.* Hujus homicidii *cauſam* expreſſit T. Livius lib. XXII. pag. 394. *Interim ex fatalibus libris ſacrificia aliquot extraordinaria facta, inter quæ Gallus & Galla, Græcus & Græca in foro Boario ſub terra vivi demiſſi ſunt, in locum ſaxo conſeptum, ibi ante hoſtiis humanis minime Romano ſacro imbutum. Placatis ſatis, ut rebantur, Deis.* Plutarchus in vita Marcelli p. 299. eandem hiſtoriam iiſdem verbis refert, ſed in Quæſtionibus Romanis pag. 284. A. B. ſpecialiorem

ad-

adhuc, quam Livius, hujus ſacrificii cauſam deſignat, dicens, quod propterea Romani ex libris Sibyllinis edocti hoc ſacrificium adminiſtrarunt, quod Æmilia, Licinia, & Martia Veſtales virgines eſſent vitiatæ, & ita magnæ calamitates imperio imminerent. *His miſeris Græcis & Gallis diu a Romanis ſacrificatum eſt.* Plutarchus in Marcello pag. 299. οἷς ἔτι καὶ νῦν ἐν τῷ Νοεμβρίῳ μηνὶ δρῶσιν Ἕλλησι καὶ Γαλάταις ἀπορρήτους καὶ ἀθεάτους ἱερουργίας. *Quibus ad hunc uſque diem Græcis & Gallis ſacra arcana & nefanda faciunt menſe Novembri.* Quænam hæc fuerint ſacra nefanda & arcana ipſe conjicias. Apud *Septentrionales* autem populos Deorum Satrapa (de quo in capitibus prioribus ſatis egimus) *Fro* tandem in Deorum cenſum & numerum relatus non niſi *hoc ſacrificiorum genere ſe placari* poſſe, credulis Ethnicorum auribus inſtillavit, quod Saxo lib. 1. innuit, ubi modum, quo Hadingus in gratiam cum Superis redierit, exponit. *Nec*, inquit, *ante malo remedium fuit, quam ſcelere ſacrificiis expiato cum Superis in gratiam redire potuiſſet. Siquidem propitiando-*

dorum numinum gratia Fro Deo rem divinam ſurvis hoſtiis fecit, quem litationis morem annuo feriarum circuitu repetitum poſteris imitandum relinquit. Fro-blod Sueones vocant. Per *ſurvas hoſtias* nihil aliud, quam *ſanguinolentæ illæ hominum immolationes* intelliguntur. De ſurvis his hoſtiis & ſacrificiis cruentis vide, quæ erudite commentatus eſt M. Stephanus Stephanii in Saxonis lib. 1. Idem *ſacrificium, eandemque* ejus *cauſam Danis* adſcribit Dithmarus Epiſcopus Merſburgenſis lib. 1. Chron. p. 12. *Sed quia ego de hoſtiis eorundem Daporum antiquis multa audivi, hac indiſcuſſa præterire volo. Eſt unus in his partibus locus, caput iſtius regni Lederun nomine, in pago qui Selon dicitur, ubi poſt novem annos menſe Ianuario, poſt hoc tempus, quo nos Theophaniam Domini celebramus, omnes conveniunt, & ibi Diis ſuiſmet nonaginta & novem homines & totidem equos cum canibus & gallis pro accipitribus oblatis immolant, pro certo, ut prædixi, putantes his eoſdem placaturos.* Sed operæ pretium erit, ut ſpecialius etiam videamus, quorum nominatim Deorum bilem deprecari; eorumque gratiam & favorem diris

H

his

his victimis conciliare ſtuduerint. Apud incolas igitur *urbis Piſſæ in Cypro hoc modo Neptuni tempeſtates*, triſulcum *Iovis fulmen, Martis furores*, & *Saturni nimbos declinare* ſatagebant. Prodromus lib. VIII.

Καὶ χρηστὸν υἱὸν πατρὶ δοῦναι πρεσβύτῃ
ἀπαλλαγέντα τῆς προκειμένης τύχης
Θέλω· θεοὶ δὲ μάρτυρές μοι τοῦ λόγου.
ἀλλὰ πλοῦς μοι μὴ Ποσειδῶν ποντίσοι,
Ἄρης δὲ πλήξῃ, καὶ χαλαζώσῃ Κρόνος,
Καὶ Ζεὺς κεραυνόβλητον ἐργάσοιτό με
Καὶ ξυμφέρει κρατανδρον ἐκθανεῖν μόνον.

Vellem Patri Seni longe ab hoc infortunio libero filium reſtitui. Deoſque me vera dicere teſtor. ſed religio prohibet, timeoque, ne iratus Neptunus claſſes meas in poſterum aquis obruat, ne Iupiter me diali fulmine tangat, ne Mavors aliqua clade belli percutiat, vel Saturnus effuſo grandinis nimbo vaſtitatem faciat. His enim Numinibus (victima hæc humana) fit. Ita vertit Gilbertus Gaulminus. Sic etiam *ad Iovis iram emolliendam* Midæ filius *Ægiſteus* (juxta alios *Anchurus*) *eques cum* impetu *in hiatum diſiliit*, ut ſcribit Calliſthenes II. lib. Transformat. Et *ob iram Iovis Tarſii Curtius Romanus* eques *ſe in profun-*

dam

dam voraginem præcipitavit; ut refert Ariſtides lib. XL. Rerum Italicar. Sic *Cyanippus immolatus eſt*, quia cum reliquis Deis ſacrificaret, *Bacchum ſolum præteriiſſet* & inhonoratum reliquiſſet, nec debita veneratione adoraſſet, juxta Doſitheum lib. III. Rerum Sicul. Et *Aruntius* Romæ a Medullina filia ad aram fulminis *ob Bacchi* etiam *iram immolatus eſt*. Plutarchus in Parall. p. 310. *Trojani* autem ex oraculo *virgines ſuas ceto objicere* & exponere cogebantur, quo *Neptuni ira elangueſceret* & deferveſceret, qui propterea hoc marinum monſtrum eorum agros devaſtaturum immiſerat, quod Rex Laomedon promiſſis non ſtetiſſet, ſed votum violaſſet, quod ſe Apollini & Neptuno immolaturum voverat, quicquid pecoris eo anno in ſuo regno eſſet natum. Hyginus fab. LXXXIX. Idem *Neptunus*, ut cruenta libatione frontem ſuam explicaret, oculoſque paſceret; *Erichthei filiam ſibi in ſacrificium immolandam poſtulavit*. Qua de re idem Hyginus fabula XLVI. hunc in modum loquitur. *Erichtheus Pandionis filius habuit filias quatuor, quæ inter ſe conjuraverunt*,

runt, ſi una eorum mortem obiſſet, cateræ ſe interficerent. In eo tempore Eumolpus Neptuni filius Athenas venit oppugnaturus, quod Patris ſui terram Atticam fuiſſe diceret. Is victus cum exercitu, cum eſſet ab Athenienſibus interfectus, Neptunus ne filii ſui morte Erichtheus lætaretur expoſtulavit, ut ejus filia Neptuno immolaretur; Itaque Otionia filia cum eſſet immolanda, cateræ fide data, ſe ipſæ interfecerunt. Ipſe Erichtheus ab Iove Neptuni rogatu fulmine eſt ictus. Euripides in Jone aſſerit, Erechthei filias ut victimas piaculares ab ipſo patre pro Patria eſſe oblatas: πατὴρ Ἐρεχθεὺς σὰς ἔθυσε, συγγόνους; ἔτλη πρὸ γαίας σφάγια παρθένους κτανεῖν. *Pater tuus* (Creuſa) *Erechtheus, mactavitne tuas ſorores? Auſus eſt mactare victimas pro patria.* Dorotheus Hiſtoricus in quarto Italicarum Rerum, *illum ſubterraneis dæmonibus filiam ſuam occidiſſe* teſtatur. Unius etiam tantum filiæ meminit Porphyrius lib. II. de abſtinent. Καὶ παρίημι Θρᾷκας καὶ Σκύθας καὶ ὡς Ἀθηναῖοι τὴν Ἐρεχθέως καὶ Πραξιθέας θυγατέρα ἀνεῖλον. *Prætermittamne Thraces & Scythas item Athenienſes, qui Erechtei ex Praxithea filiam ſuſtulerunt de medio?* Et non tantum Ma-

jores Dei *Iupiter*, *Saturnus*, *Mars*, *Neptunus*, de quibus ſupra vidimus, ſed etiam minorum gentium *Deæ*, *Nereides* nempe in tantam iram efferbuerunt, ut illam non niſi *Andromedæ* virginis a marino monſtro deglutiendæ *nece* ſubſidere paſſæ fuerint, eo quod ejus mater Caſſiopæja formam ſuam Nereidibus præpoſuiſſet. Id demonſtrat Hyginus fabula LXIV. his verbis. *Caſſiopeja filiæ ſuæ Androniadæ formam Nereidibus antepoſuit, ob id Neptunus poſtulavit, ut Andromada Cephei filia ceto objiceretur*. Germanicus Cæſar in Arati Phænom. Idem docet. *Caſſiopæia dicitur præpoſuiſſe formam ſuam Nereidibus, ob quam rem ira Neptuni ceto tranſmiſſo vaſtabatur eorum terra, expoſtulatamque Andromedem, & ceto propoſitam*. Paulo poſt ſequitur. *Andromeda filia fuit Cephei & Caſſiopeiæ, quæ adamata eſt a Cupidine: & datum eſt reſponſum, ut traderent ceto ad devorandum, quæ ſuſpenſa inter duos montes & expoſita ceto eſt cum omnibus ornamentis*. Sic etiam *Diana* iram ſuam *Iphigeniæ* Agamemnonis filiæ *caede placari voluit*, quod Pater capram (alii dicunt cervam) ei ſacram tranſfixiſſet. Audiatur

tur Dictys Cretenſis de bello Trojano. *Queis rebus ſolicitis ducibus mulier quædam Deo plena, Dianæ iram fatur. eam namque ob necem capræ, qua maxime lætabatur; ſacrilegii pœnam ab exercitu expetere, nec leniri priuſquam author tanti ſceleris filiam natu maximam vicariam victimam immolaviſſet, &c.* Paulo poſt ſequitur *Interim virginemUlyſſes & Menelaus cum Calchante, quibus id negotium datum erat remotis procul omnibus ſacrificio adornant.* Ad Ejuſdem *Dianæ furorem* & impotentem ſtomachum *ſedandum homines immolati ſunt*, ut nefas & ſcelus expiaretur, quod Menalippus & Comete in ejus templo coiſſent. Vide Pauſaniam in Achaicis. *Minervæ* quoque *indignatio* nobilium *virginum cruore exſtingui debuit*, cum Ajax ante ejus aram Caſſandræ vim intuliſſet. Qua de revideatur Servius ad Æneid. lib. 1. *Dicitur Minerva tantum ob vitiatam Caſſandram in templo ſuo, ſolius Ajacis pœna non fuiſſe contenta, ut poſtea per oraculum de ejus regno quotannis unam nobilem puellam juſſerit Ilium ſibi ad ſacrificium mitti; & quod eſt majus, de ea tribu, de qua Ajax fuerat, ſicut* Ennius *refert.*

Pal-

Pallaſne exurere claſſem
Argivum, atque ipſos potuit ſubmergere ponto,
Unius ob noxam & furias Ajacis Oilei?

Mithridates vero *Furiarum indignationi virginis cæde ſatiſſacere debuit*, cum imprudens earum lucum ſuccendiſſet. Julius Obſequens de prodig. L. Sylla. & Q. Pompejo Coſſ. *Lucum Furiarum cum Mithridates ſuccenderet, riſus exauditus ingens ſine authore. Cum aruſpicum juſſu virginem Furiis immolaret, & jugulo puellæ riſus ortus turbavit ſacrificium.* Cum autem *Metellus Veſtæ non ſacrificaſſet, ejus indignatione filiam propriam immolare coactus eſt.* Pythocles lib. III. Rerum Italicar. Vide etiam, quomodo Jaſon Abſyrti Medeæ fratris necem & paricidium expiare incubuerit. Apollonius Rhodius in Argonaut. lib. IV.

ἥρως δ' αἰσονίδης ἐξάργματα τάμνε θανόντος,
τρὶς δ' ἀπέλειξε φόνου, τρὶς δ' ἐξ ἄγος ἔπτυσ' ὀδόντων,
ἣ θέμις αὐθέντῃσι δολοκτασίας ἱλάεσθαι.

Tum Iaſon heros primitiis cadaveris obtruncatis, Ter delingit ſanguinem occiſi (Abſyrti fratris Medeæ, quem ex inſidiis obtruncaverat) *ter dentibus exſpuit februa,*

Prout

Prout fas eſt percuſſori clandeſtiam expiare cædem.

Quem ſine dubio ſanguinem propterea delibavit, ut ſe a paricidii ſive fratricidii macula luſtraret, Deorumque iram, Abſyrtique manes placaret. Ita etiam *Ægyptii* milites abominabili innocentis *virginis immolatione exercitum luſtrare ſtuduerunt*, ſicut teſtatur Achilles Tatius Amor. lib. III. Et *Diabolus* Jovis perſonam & nomen induens *fulminis iras non niſi hominum capitibus* procurari & *expiari poſſe Numæ Pompilio* Romanorum Regi *oſtendit*, & perſuadere conatus eſt. Plutarchus in Numa p. 70. *Iovem inſenſum præcepiſſe Numæ, ut capitibus procuraret (fulmen). Quum exciperet Numa, ceparumne? dixiſſe eum hominum. Numam autem denuo præcepti diritatem avertentem interrogaſſe, Crinibuſne? At quum reſpondiſſet Iupiter animatis: Tum Numam ut ita diceret inſtructum ab Ægeria addidiſſe Mænis, ac diſceſſiſſe Iovem propitium*, Poſterioribus autem temporibus *ſanguine humano fulmina expiata fuiſſe* teſtatur Julius Obſequens de Prodigiis ſub. L. Furio Serrano Coſſ. *Fulmina* (corrige *fulmine*) *pleraque dejecta:*

puer

puer aruſpicum juſſu crematus, ciniſque ejus in mare dejectus. Imo etiam *Temeſſæ incolæ* formoſiſſimam *virginem* quotannis *immolare* neceſſe habuerunt, *ut a continuis divexationibus manium unius ex Ulyſſis ſociis liberentur*, quem ob vitiatam puellam merito necaſſent. Pauſanias lib. VI. pag. 417. *Ulyſſem aiunt errantem everſo jam Ilio, tempeſtatibus illuc ad alias Italiæ ac Siciliæ urbes, & Temeſſam etiam appulſum, ibi de navalibus sociis ejus unum virgine per vim violata ab oppidanis contumeliam vindicantibus lapidibus obrutum. Ulyſſem quidem nulla factum ulciſcendi inita ratione inde profectum.* Perempti vero ſocii manes finem nullum ſæviendi *in cujuſlibet ætatis homines* feciſſe, *priuſquam cogitantes Patriam relinquere Temeſſenſes, quo eam peſtem effugerent, Apollinis reſponſo* juſſi ſunt Heroem placare, *& conſecrato ei ſolo templum excitare.* Devovere ei præterea quotannis virginem unam, quæ ipſis formoſiſſima viſa eſſet: *quod cum illi ex oraculo facere pergerent, nihil omnino gravius dehinc paſſi ſunt. Forte vero cum veniſſet Euthymus Temeſſan, eo ipſo tempore, quo ſolenne ſacrum fiebat, re tota cognita, ſe intromitti il-*

lum

lum aiunt in templum poſtulaſſe: ibi virginem conſpicatum, primo miſericordia commotum, deinde etiam amore incenſum, ac puellam quidem, ſi ab eo ſervata eſſet, ſe in ejus manum conventuram fidem dediſſe. Armis igitur captis cum genio congreſſum, illum victum mænibus & agro exceſſiſſe, ſublatumque prorſus ex hominum cætu in mare ſe demerſiſſe. Hactenus Pauſanias. Obſervamus in hac hiſtoria, quod ferro ſtricto armiſque malus hic genius ſive Diabolus potius victus ſarcinas convaſaverit, incolaſque ejus urbis ſibi obnoxios tenere deſierit. Et hoc non miremur, cum non tantum ethnici, ſed etiam multi ex Chriſtianis ſibi perſuaſum habuerint, Dæmones fulminantem gladii aciem ſuſtinere nequire, & quantum poſſunt maxime declinare. Propterea, qui exagitare dæmones & ſpectra aggrediuntur, enſes & tela ſtudioſe prætendere & vibrare conſueverunt, ut ita Diabolum profligarent. Ex qua veterum & quidem Platonicorum doctrina Platonicus ipſe Poëta Virgilius. Æneid. VI. ita canit.

Procul o procul eſte prophani!

Con-

c. 8. p. 313. Hæc etiam opinio *Herulis* inhærebat, de quibus Procopius lib. II. Got. *Deorum complurium cultus, quos & humanis victimis placare fas habebant.* Et *Cypri inſulæ incolis*, & civibus Piſſæ urbis; de quibus Prodromus de Rhodanthes & Doſiclis Amoribus lib. VII. in hunc modum loquitur atque ſcribit.

Θεοῖς θύειν ἔμελλε τοῖς ἐγχωρίοις,
Θύειν δὲ καὶ τὸ κρεῖττον ὧν σύλλων λάβοι
ταῖς γὰρ ἀπαρχαῖς τοῖς θεοῖς τιμητέον.
Οὐδὲν δὲ κρεῖττον εἶχε τοῦ Δοσικλέος
Καὶ τοῦ Κρατάνδρου τῆς καλῆς συζυγίας
ὢ κάλλος αἰσχρὸν, ὢ θεῶν κακὴ χάρις.
Μὴ γὰρ καλοὶ γένοιντό τινες ἐν βίῳ,
Ἂν εἰ κατασφάττοιντο τοῦ κάλλους χάριν.
Ἐπεὶπερ οὕτω ταῦτα, καὶ νόμος βίας. &c.

Gaulminus hæc verba in latinam linguam ita tranſfudit. *Confeſtim indigenas Deos illuſtri ex præda ſpoliiſque ſacrificio placaturus. Omnium enim rerum primitiis* Numinum pacem exorare docet. *Doſicle autem ac Cratandro ex præda receptis nihil præſtantius fuit. O turpem pulchritudinem, ingratamque Deorum gratiam! cur aliquis formoſus fuerit, ſi formæ ergo mactabitur? Verum hoc immani præ-*

præter jus lege in perpetuum conſtitutum erat. Iam æditui rogum accenderant, ſtabantque liberi ad templi limina adoleſcentes. Illiſque proximi Sacerdotes duo ſinguli enſibus, quibus illos mactaturi eſſent inſtructi. Eodem modo *adverſa Numina placare*, eorumque iram *infanticidio* exarmare ſtuduit *Maxentius.* Cuſpinianus de Conſtantino Magno illud his verbis affirmat. *Maga improba proſperæ omnia pollicetur* (Maxentio) *ſi prius cæſis infantibus placaret adverſa numina. Quod ſumma vanitate cruentus Princeps facile perfecit ſecto infante.* Sic *Corinthii* innocentium mortem, quos lapidibus temerarie obruerant, deteſtanda hac immolatione luerunt. Ita Pauſanias lib. II. *Proximum ei Medeæ filiorum ſepulchrum, quorum nomina Mermerus & Pheres; Lapidibus vero a Corinthiis obrutos memorant, propter ea, quæ a matre Glauce munera attulerunt. Sed enim, quod per vim oppreſſi innocentes fuere, nece ſua illis Corinthiorum liberi pænas dederunt ex oraculo, & ſolennia illis ſacra fieri capta, Pavoriſque imago dedicata.* Getulii carmen ex hac hiſtoria lucem acquirit, & intelligi poteſt.

 πά-

παίδων Μηδείης οὗτος τάφος, ὓς ὁ πυρίπνους
Ζῆλος τῶν Γλαύκης θῦμ' ἐποίησε γάμων.

Filiorum Medeæ hic tumulus, quos ignem ſpirans
Zelus Glaucæ hoſtiam fecit nuptiarum.

Romani etiam hoc ſanguinis flumine exardeſcentem Deorum iram exſtingui poſſe opinabantur; unde contigit, ut in *foro boariæ* in urbe *Roma Græcum* & *Græcam*, *Gallum* & *Gallam vivos terra obruerint.* Hoc nobis exhibet Felix. p. 91. *Romani Græcum & Græcam, Gallum & Gallam ſacrificiis viventes obruere: hodieque ab ipſis Latiaris Iupiter homicidio colitur, & quod Saturni filio dignum eſt, mali & noxii hominis ſanguine ſaginatur.* Hujus homicidii *cauſam* expreſſit T. Livius lib. XXII. pag. 394. *Interim ex fatalibus libris ſacrificia aliquot extraordinaria facta, inter quæ Gallus & Galla, Græcus & Græca in foro Boario ſub terra vivi demiſſi ſunt, in locum ſaxo conſeptum, ibi ante hoſtiis humanis minime Romano ſacro imbutum. Placatis ſatis, ut rebantur, Deis.* Plutarchus in vita Marcelli p. 299. eandem hiſtoriam iiſdem verbis refert, ſed in Quæſtionibus Romanis pag. 284. A. B. ſpecialiorem

adhuc, quam Livius, hujus ſacrificii cauſam deſignat, dicens, quod propterea Romani ex libris Sibyllinis edocti hoc ſacrificium adminiſtrarunt, quod Æmilia, Licinia, & Martia Veſtales virgines eſſent vitiatæ, & ita magnæ calamitates imperio imminerent. *His miſeris Græcis* & *Gallis* diu a *Romanis ſacrificatum eſt.* Plutarchus in Marcello pag. 299. οἷς ἔτι καὶ νῦν ἐν τῷ Νοεμβρίῳ μηνὶ δρῶσιν Ἕλλησι καὶ Γαλάταις ἀπορρήτους καὶ ἀθεάτους ἱερουργίας. *Quibus ad hunc uſque diem Græcis & Gallis ſacra arcana & nefanda faciunt menſe Novembri.* Quænam hæc fuerint ſacra nefanda & arcana ipſe conjicias. Apud *Septentrionales* autem populos Deorum Satrapa (de quo in capitibus prioribus ſatis egimus) *Fro* tandem in Deorum cenſum & numerum relatus non niſi *hoc ſacrificiorum genere* ſe *placari* poſſe, credulis Ethnicorum auribus inſtillavit, quod Saxo lib. *1.* innuit, ubi modum, quo Hadingus in gratiam cum Superis redierit, exponit. Nec, inquit, *ante malo remedium fuit, quam ſcelere ſacrificiis expiato cum Superis in gratiam redire potuiſſet. Siquidem propitian-*

dorum numinum gratia Fro Deo rem divinam ſurvis hoſtiis fecit, quem litationis morem annuo feriarum circuitu repetitum poſteris imitandum relinquit. Fro-blod Sueones vocant. Per *ſurvas hoſtias* nihil aliud, quam *ſanguinolentæ illæ hominum immolationes* intelliguntur. De ſurvis his hoſtiis & ſacrificiis cruentis vide, quæ erudite commentatus eſt M. Stephanus Stephanii in Saxonis lib. 1. Idem *ſacrificium*, *eandemque* ejus *cauſam* Danis adſcribit Dithmarus Epiſcopus Merſburgenſis lib. 1. Chron. p. 12. *Sed quia ego de hoſtiis eorundem Danorum antiquis multa audivi, hæc indiſcuſſa præterire volo. Eſt unus in his partibus locus, caput iſtius regni Lederun nomine, in pago qui Selon dicitur, ubi poſt novem annos menſe Ianuario, poſt hoc tempus, quo nos Theophaniam Domini celebramus, omnes conveniunt, & ibi Diis ſuiſmet nonaginta & novem homines & totidem equos cum canibus & gallis pro accipitribus oblatis immolant; pro certo, ut prædixi, putantes his eoſdem placaturos.* Sed operæ pretium erit, ut ſpecialius etiam videamus, quorum nominatim Deorum bilem deprecari; eorumque gratiam & favorem diris

his

his victimis conciliare ſtuduerint. Apud incolas igitur *urbis Piſſæ in Cypro hoc modo Neptuni tempeſtates*, triſulcum *Iovis fulmen*, *Martis furores*, & *Saturni nimbos declinare* ſatagebant. Prodromus lib. VIII.

Καὶ χρηστὸν υἱὸν πατρὶ δοῦναι πρεσβύτῃ
ἀπαλλαχθέντα τῆς προκειμένης τύχης
Θέλω· θεοὶ δὲ μάρτυρές μοι τοῦ λόγου.
ἀλλὰ πλοῦ μοι μὴ Ποσειδῶν ποντίσοι,
Ἀρης δὲ πλήξῃ, καὶ χαλαζώσῃ Κρόνος,
Καὶ Ζεὺς κεραυνόβλητον ἐργάσοιτο με.
Καὶ ξυμφέρει κράτανδρον ἐκθανεῖν μόνον.

Vellem Patri Seni longe ab hoc infortunio libero filium reſtitui. Deoſque me vera dicere teſtor. ſed religio prohibet, timeoque, ne iratus Neptunus claßes meas in poſterum aquis obruat, ne Iupiter me diali fulmine tangat, ne Mavors aliqua clade belli percutiat, vel Saturnus effuſo grandinis nimbo vaſtitatem faciat. His enim Numinibus (victima hæc humana) fit. Ita vertit Gilbertus Gaulminus. Sic etiam *ad Iovis iram emolliendam* Midæ filius *Ægiſteus* (juxta alios *Anchurus*) *eques cum* impetu *in hiatum diſiliit*, ut ſcribit Calliſthenes II. lib. Transformat. Et *ob iram Iovis Tarſii Curtius Romanus* eques *ſe in profundam*

dam

runt, ſi una eorum mortem obiſſet, cæteræ ſe interficerent. In eo tempore Eumolpus Neptuni filius Athenas venit oppugnaturus, quod Patris ſui terram Atticam fuiſſe diceret. Is victus cum exercitu, cum eſſet ab Athenienſibus interfectus, Neptunus ne filii ſui morte Erichtheus lætaretur expoſtulavit, ut ejus filia Neptuno immolaretur; Itaque Otionia filia cum eſſet immolanda, cæteræ fide data, ſe ipſæ interfecerunt. Ipſe Erichtheus ab Iove Neptuni rogatu fulmine eſt ictus. Euripides in Jone aſſerit, Erechthei filias ut victimas piaculares ab ipſo patre pro Patria eſſe oblatas: πατὴρ Ἐρεχθεὺς σὰς ἔθυσ', συγγόνοις; ἔτλη πρὸ γαίας σφάγια παρθένους κτανεῖν. *Pater tuus* (Creuſa) *Erechtheus, mactavitne tuas ſorores? Auſus eſt mactare victimas pro patria.* Dorotheus Hiſtoricus in quarto Italicarum Rerum, *illum ſubterraneis dæmonibus filiam ſuam occidiſſe* teſtatur. Unius etiam tantum filiæ meminit Porphyrius lib. II. de abſtinent. Καὶ παρίημι Θρᾷκας καὶ Σκύθας καὶ ὡς Ἀθηναῖοι τὴν Ἐρεχθέως καὶ Πραξιθέας θυγατέρα ἀνεῖλον. *Prætermittamne Thraces & Scythas item Athenienſes, qui Erechtei ex Praxithea filiam ſuſtulerunt de medio?* Et non tantum Ma-

jo-

jores Dei *Iupiter*, *Saturnus*, *Mars*, *Neptunus*, de quibus ſupra vidimus, ſed etiam minorum gentium *Deæ*, *Nereides* nempe in tantam iram efferbuerunt, ut illam non niſi *Andromedæ* virginis a marino monſtro deglutiendæ *nece* ſubſidere paſſæ fuerint, eo quod ejus mater Caſſiopæja formam ſuam Nereidibus præpoſuiſſet. Id demonſtrat Hyginus fabula LXIV. his verbis. *Caſſiopeja filiæ ſuæ Andromadæ formam Nereidibus antepoſuit, ob id Neptunus poſtulavit, ut Andromada Cephei filia ceto objiceretur.* Germanicus Cæſar in Arati Phænom. Idem docet. *Caſſiopæia dicitur præpoſuiſſe formam ſuam Nereidibus, ob quam rem ira Neptuni ceto tranſmiſſo vaſtabatur eorum terra, expoſtulatamque Andromedem, & ceto propoſitam.* Paulo poſt ſequitur. *Andromeda filia fuit Cephei & Caſſiopeiæ, quæ adamata eſt a Cupidine: & datum eſt reſponſum, ut traderent ceto ad devorandum, quæ ſuſpenſa inter duos montes & expoſita ceto eſt cum omnibus ornamentis.* Sic etiam *Diana* iram ſuam *Iphigeniæ* Agamemnonis filiæ *caede placari voluit*, quod Pater capram (alii dicunt cervam) ei ſacram transfixiſſet. Audiatur

tur Dictys Cretenſis de bello Trojano. *Queis rebus ſolicitis ducibus mulier quædam Deo plena, Dianæ iram fatur. eam namque ob necem capræ, qua maxime lætabatur; ſacrilegii pœnam ab exercitu expetere, nec leniri priuſquam author tanti ſceleris filiam natu maximam vicariam victimam immolaviſſet, &c.* Paulo poſt ſequitur *Interim virginem Ulyſſes & Menelaus cum Calchante, quibus id negotium datum erat remotis procul omnibus ſacrificio adornant.* Ad Ejuſdem *Dianæ furorem* & impotentem ſtomachum *ſedandum homines immolati ſunt*, ut nefas & ſcelus expiaretur, quod Menalippus & Comete in ejus templo coiſſent. Vide Pauſaniam in Achaicis. *Minervæ* quoque *indignatio* nobilium *virginum cruore exſtingui debuit*, cum Ajax ante ejus aram Caſſandræ vim intuliſſet. Qua de re videatur Servius ad Æneid. lib. 1. *Dicitur Minerva tantum ob vitiatam Caſſandram in templo ſuo, ſolius Ajacis pœna non fuiſſe contenta, ut poſtea per oraculum de ejus regno quotannis unam nobilem puellam juſſerit Ilium ſibi ad ſacrificium mitti; & quod eſt majus, de ea tribu, de qua Ajax fuerat, ſicut* Ennius *refert.*

Pal-

Pallaſne exurere claſſem
Argivum, atque ipſos potuit ſubmergere ponto,
Unius ob noxam & furias Ajacis Oilei?

Mithridates vero *Furiarum indignationi virginis cæde ſatiſfacere debuit*, cum imprudens earum lucum ſuccendiſſet. Julius Obſequens de prodig. L. Sylla. & Q. Pompejo Coſſ. *Lucum Furiarum cum Mithridates ſuccenderet, riſus exauditus ingens ſine authore. Cum aruſpicum juſſu virginem Furiis immolaret, & jugulo puellæ riſus ortus turbavit ſacrificium.* Cum autem *Metellus Veſtæ non ſacrificaſſet, ejus indignatione filiam propriam immolare coactus eſt.* Pythocles lib. III. Rerum Italicar. Vide etiam, quomodo Jaſon Abſyrti Medeæ fratris necem & paricidium expiare incubuerit. Apollonius Rhodius in Argonaut. lib. IV.

ἥρως δ' αἰσονίδης ἐξάργματα τάμνε θανόντος,
τρὶς δ' ἀπέλειξε φόνου, τρὶς δ' ἐξ ἄγος ἔπτυσ'
ὀδόντων,
ἣ θέμις αὐθέντῃσι δολοκτασίας ἱλάεσθαι.

Tum Iaſon heros primitiis cadaveris obtruncatis, Ter delingit ſanguinem occiſi (Abſyrti fratris Medeæ, quem ex inſidiis obtruncaverat) *ter dentibus exſpuit februa*,

Prout

Prout ſas eſt percuſſori clandeſtiam expiare cædem.

Quem ſine dubio ſanguinem propterea delibavit, ut ſe a paricidii ſive fratricidii macula luſtraret, Deorumque iram, Abſyrtique manes placaret. Ita etiam *Ægyptii* milites abominabili innocentis *virginis immolatione exercitum luſtrare ſtuduerunt*, ſicut teſtatur Achilles Tatius Amor. lib. III. Et *Diabolus* Jovis perſonam & nomen induens *fulminis iras non niſi hominum capitibus* procurari & *expiari poſſe Numæ Pompilio* Romanorum Regi *oſtendit*, & perſuadere conatus eſt. Plutarchus in Numa p. 70. *Iovem inſenſum præcepiſſe Numæ, ut capitibus procuraret (fulmen). Quum exciperet Numa, ceparumne? dixiſſe eum hominum. Numam autem denuo præcepti diritatem avertentem interrogaſſe, Crinibuſne? At quum reſpondiſſet Iupiter animatis: Tum Numam ut ita diceret inſtructum ab Ægeria addidiſſe Mænis, ac diſceſſiſſe Iovem propitium*, Poſterioribus autem temporibus *ſanguine humano fulmina expiata fuiſſe* teſtatur Julius Obſequens de Prodigiis ſub. L. Furio Serrrano Coſſ. *Fulmina* (corrige *fulmine*) *pleraque dejecta:*

puer

lum aiunt in templum poſtulaſſe: ibi virginem conſpicatum, primo miſericordia commotum, deinde etiam amore incenſum, ac puellam quidem, ſi ab eo ſervata eſſet, ſe in ejus manum conventuram fidem dediſſe. Armis igitur captis cum genio congreſſum, illum victum mœnibus & agro exceſſiſſe, ſublatumque prorſus ex hominum cœtu in mare ſe demerſiſſe. Hactenus Pauſanias. Obſervamus in hac hiſtoria, quod ferro ſtricto armiſque malus hic genius ſive Diabolus potius victus ſarcinas convaſaverit, incolaſque ejus urbis ſibi obnoxios tenere deſierit. Et hoc non miremur, cum non tantum ethnici, ſed etiam multi ex Chriſtianis ſibi perſuaſum habuerint, Dæmones fulminantem gladii aciem ſuſtinere nequire, & quantum poſſunt maxime declinare. Propterea, qui exagitare dæmones & ſpectra aggrediuntur, enſes & tela ſtudioſe prætendere & vibrare conſueverunt, ut ita Diabolum profligarent. Ex qua veterum&quidem Platonicorum doctrina Platonicus ipſe Poëta Virgilius. Æneid VI. ita canit.

Procul o procul eſte prophani!

Con-

Conclamat vates, totoque abſiſtite luco;
Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum.

Sed errant maxime, qui opinentur, Deum dæmones metallis, lapidibus, herbis, ſonitui, clamoribus aliiſque rebus inanimatis ſubjeciſſe, quibus ab hominibus abigi poſſent. Qua in hæreſi fuerunt Flavius Joſephus lib. VIII. cap. 20. Philoſtratus in vita Apollonii Thyanæi lib. II. cap. 2. Plinius lib. XXVIII. cap. 16. Hieronymus & ex eo Jus Canonicum 26. quæſt. 7. Abulenſis in 1 Samuel. XVI. quæſt. 43. Ibidem Burgenſis in addition. C. Lyranus, Raymundus Lullus, Rupeſciſſa, Grillandus Fr. Rueus citati & refutati a Raphaele la Torre de poteſt. exercendi dæmon. diſp. III. & XVII. Nero autem tam parvi Deorum iram fecit, ut in contemptum & ludibrium Apollinis dæmonii homines immolare ſuſtinuerit. Dion lib. LXIII. in Nerone. *Apollini ſive iratus, quod ei moleſtum & grave reſponſum dediſſet, ſive alio pacto inſaniens, Cirrhaam regionem abſtulit, eamque dedit militibus & locum, unde oracula petebantur, delevit; hominibus ad os ipſum, ex quo Spiritus Dei mittebatur, interfectis.*

Hu-

CAP. XIII.

Humanæ victimæ immolatæ, ut propulſarent morbos; Capitolinus explicatur. Ad amorem conciliandum ἴυγγα, ipſullices. Homines mactati ad abigendum amorem, lepram, morbum comitialem. Voetij error. Aretæus illuſtratur. Ad expellendam peſtem. Winſemii error.

JAm *ſecundum finem* abominabilis hujus ritus, *humanarumque victimarum ab* Ethnicis immolatarum aſſignabimus. Sicut hominem diu graviſſimo morbo laborantem ſanitatem recuperaſſe legimus, cum magum, qui ei ut mali author per ſomnum objectus eſſet, occidiſſet, ſicut teſtatur Simon Goulartius Hiſtor: tom: IV. p. 60. Ita *humanas* etiam *hoſtias immolatas ab Ethnicis* audiemus, ut *morbos*, *agrorum ſterilitatem*, *Oceanique* inundantis *furores*, & *præcipue bellorum adverſa a ſe depellerent* & averterent. *Hos propter fines Americani victimas humanas jugulaverunt.* Martyr in deſcript: Novi Orbis Decad: v. cap: 4. p. 351. *Pro victoria, ſi prælio ſit decertandum, pro incolumitate, pro frugum copia*

homines immolant, & hujuſmodi pro arbitrio ſuo. Sed ut de *ſanitate* primum agam; *Archigallus* ſive Gallorum (de quibus infra) Princeps *die nona Calendarum Aprilis ſanguinem impurum lacertos caſtrando libabat pro ſalute Imperatoris Marci*, veluti docet Tertullianus Apolog: pag. 862. *Hinc* etiam *Rex Sueciæ novem filios Othino mactavit, ut ætas ei in longum tempus prorogaretur*, ut teſtatur Hiſtoria Norvagica. Sicuti gladiator, cujus amore exarſerat Fauſtina Imperatoris M. Antonini uxor, mactari, ejusque ſanguine Regina ſublavari, id eſt, circa pudenda ablui debebat, ſi amor ille illicitus in exilium mitteretur. Julius Capitolinus in M. Antonino Philoſopho p. 44. *Ajunt quidam (quod veriſimile videtur) Commodum Antoninum ſucceſſorem illius ac filium non eſſe de eo natum, ſed de adulterio: ac talem fabellam vulgari ſermone contexunt: Fauſtinam quondam Pii filiam, Marci uxorem, quum gladiatores tranſire vidiſſet, unius ex his amore ſuccenſam, quum longa ægritudine laboraret, viro de amore confeſſam. Quod, quum ad Chaldæos Marcus retuliſſet,*

illo-

illorum fuiſſe conſilium, *ut* occiſo gladiatore, ſanguine illius ſeſe Fauſtina ſublavaret, *atque ita cum viro concumberet. Quod quum eſſet factum*, *ſolutum quidem amorem*, *natum vero Commodum gladiatorem eſſe non Principem.* Verum enim vero, quidam ſcribunt, ut loquitur Caſaubonus in notis ad Capitolinum pag. 158. gladiatoris hujus, quem Fauſtina deperibat, ſanguinem, in aquæ ſpeciem mutatum, illi infauſtæ fuiſſe propinatum. Sed Canidia aliæque veneficæ puero prætextato ſub terra defoſſo medullam & jecur exſecare & eximere ſtuduerunt, ut ex iis *poculum amatorium* ſive philtrum conficerent. Vide Horatium Epod. 5. pag. 119. 120. ubi inter alia ſic canit.

Exſucta (*exſecta*) *uti medulla & aridum jecur*
Amoris eſſet poculum,

Ad *amorem* autem *conciliandum*, ejusque, quem ardebant, pectus inflammandum & inflectendum, male feriatæ *puella* & *ſagæ* fœminæ in ſuis Stygialibus ſacris *effigies cereas* ei, quem devove-

bant, ſimiles, ponebant, quas *ipſullices* vocabant; ut notat magnus Scaliger in Commentar. ad Cirim. Sed an *ipſullices* iſtæ effigies vocatæ fuerint, ex nullo Authore Claſſico mihi conſtat, nec uſquam me legiſſe memini. Scio tamen quod in hos uſus *illicia cupidinum* ἴυγγα ſive ἴυγγες vocata, *bitortiles tænias*, *motacilla*, *cerais*, *trochiſcilos*, *ungues*, *&* *capillos* aliasque quiſquilias & philtra uſurpaverint: de quibus conſulantur Achilles Tatius lib. IV. p. 105. 106. 107. Calpurnius eclog. III. verſ. 234. Nemeſianus eclog. IV. verſ. 309. & 110. Procopius in arcana Hiſtoria p. 4. P. Æmilius lib. IX. f. 197. & fol. 211. Jrenæus lib. I. cap. 20 f. 48. & cap. XXIV. f. 51. contra Heræſ. Theocritus Idyl. II. p. 14. 17. 18. 26. Lucianus Dialog. Meretric p. 397. Plinius lib. XXX. cap. 5. p. 370. Pollux lib. IX. Damaſcenus de hiſtoria Barlaam p. 353. Virgilius Eclog. 8. Æneid. IV. cum commentariis Servii, Hortenſii, Taubmanni, La Cerda, Petri Nannii. Horatius epod. v. in Canidiam cum notis Lambini, Torrentii, Chabotii. Ariſtoteles

Lib.

Lib. II. cap. 14. Lib. VI. cap 22. Albertus Magnus Lib. XXII. Delrio Lib. III. part. 1. quæſt. 4. §. 2 Malderus in 22. tractat. 10. c. 8. dub. 2. p. 353. Ovidius de arte amandi lib. II. p. 172. Juvenalis Satyr 9. Krantzius 2. Saxon. 30. Johannes Vigo. Michael Pſellus, Hieronymus lib. 1. epiſt. 3. Apuleius Lib. 1. p. 361. Ariſtenætus lib. II epiſt. 18. Lælius Poeta Vetus. Alexander Benedictus lib. VII. cap. 15. Nicolaus Nonardes lib. III. Anton. Beniveniis, cap. 8. Codicis lib. IX. tit. 18. de maleficis &c. §. 4. &c. Jovis etiam Sacerdotes *Conſtantino Magno* Imperatori ſuaſerunt, ut, ſi *a lepra* inſanabili *ſanari* vellet, ſe *infantium ſanguine lavaret*. Johann. Zonaras Annal. Tom. III. de Conſtantino Magno, hoc ita deſcripſit. Σώματος δὲ τυχὼν νοσεροῦ, καὶ πλεῖσα φύοντος ἐκ κακοχυμίας, καὶ ὕλης μοχθηρᾶς ἀναθήματα, ὡς λώβη ταῦτα παρὰ τῶν ἰατρῶν, καὶ λέπρα δὲ παρεικάζεσθαι, καὶ τούτου θεραπείαν ἀπαγορεύεσθαι εὗρε τοὺς ἱερεῖς τοῦ τῷ καπιτωλίῳ Διὸς οὐκ ἄλλως λέγοντας τεύξεσθαι θεραπείας αὐτὸν, εἰ μὴ ἐν παίδων νηπίων ἀτμίζοντι ἔτι λούσαιτο αἵματι αὐτίκα τοίνυν ἐκ πάσης ὑπ' ἐκείνου χώρας συνήχ-

τὸ τὰ νήπια, καὶ ἡμέρα ὥριστο τῆς τούτων σφαγῆς. Καὶ ὁ βασιλεὺς ἀπῄει τότε, τῷ αἵματι τῶν παίδων λουσόμενον εἰς τὸ καπιτόλιον &c. *Cum autem corpore eſſet morbido, quod e corruptione humorum pluribus ſcatebat puſtulis, adeo ut curatione deſperata, lepræ a Medicis lues illa compararetur; Capitolini Iovis Sacerdotes reſponderunt, eum priſtinam valetudinem non aliter recuperaturum, quam ſi in ſanguine infantium adhuc vaporante laviſſet. Statim igitur ex omni imperio collectis infantibus, cædis die conſtituta, Imperator (Conſtantinus) ſanguine puerorum loturus adſcendit.* Profundæ eruditionis, & prodigioſæ lectionis Vir Giſbertus Voetius (quod cum pace tanti viri dixerim) errare videtur; quod his ſubjectis verbis negat Zonaram Conſtantini lepræ meminiſſe. Habes autem illius verba in ſelect. Diſputat. volum. II diſputat. de donatione Conſtantini Magni pag. 873. *Occaſio donationis ſtatuitur ſanatio lepræ. atqui nulla lepræ aut ſanationis apud Hiſtoricos ſupra citatos mentio, qui rem tanti momenti non omiſiſſent. Vrgent hoc Canus, Platina, Alciatus, Ludovicus Vives lib.* II. *de cauſis corrupt. artium.*

Aut-

Authores autem, ad quos provocat Celeberrimus Vir, exhibet pag. 872. nempe *Sozimum*, *Ammianum*, *Euſebium*, *Ruffinum &c. Zonaram aliosque*. Sed Zonaras, ut ſupra videre licet, contrarium de Conſtantino Magno teſtatus eſt. Parum ab hoc ſcelere (nempe per victimas humanas morbos ſanandi) diſtat eorum furor, qui *comitialem morbum ſanguineo hominis occiſi potu depelli* aut credunt, aut ſanare intendunt & intenderunt. Quæ veſana credulitas & crudelitas ſicut antiquitus principatum obtinuit, ita etiam hodierno die non penitus exſolevit & exſtirpata eſt. Olim Romæ uſitatum erat, ſicut ex Tertulliani Apologia patet, ut in Theatro & arena jugulatorum gladiatorum ſanguinem a vulnere recentem & tepentem, deque jugulo profluentem contra morbum comitialem biberent. Addatur Aretæus Cappadox de acutorum & diuturnorum morborum Curatione, lib. IV. cap. 4. p. 175. *Ipſe autem vidi*, δὲ ἀνθρώπου γένεος· φαγέος ὑποθέντας φιάλην τῷ τρώματι, καὶ ἀρυσαμένους τοῦ αἵματος πίνοντας, *qui ſubjecta*

patera hominis recens occiſi ſanguinem e vulnere exceperint, exceptumque ebiberint; O magnam iſtius neceſſitatis vehementiam, ſuſtinere, ut malo cuipiam ſiat medicina, & tam abominando malo! Sed iſti num ſanitatem eo facto receperint, verum affirmare mihi nemo poteſt. Quæ verba etiam forte de gladiatoribus huic ſævitiæ ſanguinem ſuum commodantibus capi poſſunt. Sic M. Felix in Octavio pag. 21. Gentiles *comitialem morbum hominis ſanguine, id eſt morbo graviore ſanare* dicit. Et Cornelius Celſus lib. III. cap. 23. *Sanguis recens interfecti hominis morbum caducum pellit.* Adde Alexandrum Trallianum lib. I. Plinium Natural. Hiſtor. lib. XXVIII. cap. I. Celſum lib. I. cap. 34. Ad hunc vero morbum præcavendum Heliogabalus *camelorum calcanea, criſtas vivis gallinaceis demtas, & pavonum atque luſciniarum linguas eſitare ſolebat, quibus qui veſcebatur, ab epilepſia tutus credebatur;* Jaſon cap. 25. de morbis Cerebri. Sed maxime *homines in victimas mactare ſolebant* gentiles, quando magnis *calamitatibus* nempe *peſtilentiæ, famis, ſiccitatis & bellorum premebantur*, ſicut

cut de Phænicibus adſtruit Porphyrius lib. II. de abſtinentia ab animatis, φοίνικες δὲ ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς, ἢ πολέμων, ἢ αὐχμῶν, ἢ λοιμῶν, ἐθύοντο τῶν φιλτάτων τινὰ ἐπιψηφίζοντες κρόνῳ. *Phænices in magnis cladibus vel bellorum, vel peſtilentiæ ſacrificabant Saturno aliquem ex chariſſimis ſorte vel ſuffragio electum.* Eoſdem in fines *Septentrionis populi his ſacrificiis uſi ſunt.* Nam inter leges ab Othino latas & hæc legitur. *Quod ter ſingulis annis ſacrificandum; brumali tempore pro anni felicitate; media hyeme pro fertilitate; circa finem hyemis pro victoria obtinenda.* Nam quod primo morbos & peſtilentiam ſpectat, *Galli ægrotantes homines ſe Diis immolaturos vovebant, ſi quando ſoſpites evaſiſſent.* Aimoinus de geſtis Francorum lib. 1. cap. 7. illud teſtatur. *Natio eſt omnium Gallorum admodum dedita religionibus, atque ob eam cauſam, qui ſunt affecti gravioribus morbis, quique in præliis periculiſque verſantur, aut pro victimis homines immolant, aut ſe immolaturos vovent. adminiſtriſque ad ea ſacrificia Druidibus utuntur; quod pro vita hominis niſi vita hominis reddatur, non poſſe Deorum Immortalium numen pla-*

placari arbitrantur; publicaque ejuſdem generis habent inſtituta ſacrificia. Deſcripſit autem hæc ex Cæſare de bello Gallico lib. VI. pag. 132. Et ſicut Pontificii Romani ſe infandæ dæmonolatriæ obſtrinxerunt, cum anno 1522. ſub oculis Hadriani. VI. Græcus quidam nomine Demetrius peſtem tum exortam proſpera tauri ad amphitheatrum litatione Romæ ſedaverit, ut ſcribit. P. Jovius Hiſtor. lib. XXI. p. 19. Ita cum Gentiles *graviſſima peſte affligerentur, ad diras* has *hominum immolationes* tanquam ad ſacram anchoram *confugerunt*, ut ita hanc luem propulſarent. In hoc illis facem prætuliſſe Saturnus videtur, de quo Philo Biblius. *At vero Saturnus, dum orbem luſtrat univerſum Minervæ filiæ ſuæ Atticæ imperium dedit. Peſte autem coorta filium ſuum unigenitum Saturnus Cœlo Patri in holocauſtum immolat, & verenda circumciditur, idem facere cogens ſocios.* Eodem etiam modo repentinæ vaſtitati, & civium internecioni mederi & ſuccurrere ſtuduerunt Cherſoneſi incolæ, de quibus apud Hyginum in fabulis Philarchus ita diſſerit. *In Cherſoneſo, quæ confinis eſt Trojæ, ubi*

Pro-

Proteſilai ſepulchrum ſtatutum complures dixerunt, urbs Phlaguſa nomine dicitur, in qua Demiphon quidam cum regnaret, incidit eorum finibus repentina vaſtitas, & civium internecio miranda, quare Demiphonta permotum ferunt miſiſſe ad Apollinis oraculum, remedium quærens vaſtitatis: reſponſo autem dato, ut quotannis una de nobilium genere virgo Diis Penatibus eorum immolaretur: Demiphon omnium filias præter ſuas ſorte ductas interficiebat, uſque dum cuidam civium loco nobiliſſimo eorum nato perdoluit inceptum Demiphontis; qui negare cæpit de ſua filia ſe paſſurum ſortiri, niſi eodem Regis filiæ conjectæ eſſent: quo facto Rex permotus, illius filiam ſine ſorte ductam interfecit. Quod Maſtuſius nomine virginis Pater inſtanti tempore ſimulavit, ſe Patriæ cauſa non ferre ægre factum, potuiße enim poſtea ſorte ducta nihilominus interficere, quod paulatim dies regi in oblivionem perduxit. Itaque cum ſe prope amiciſsimum Regi Pater virginis oſtendiſset, ſolenne ſacrificium ſe habere dixit, cumque eo filias ejus ad id conficiendum invitavit. Qui nihil aliter futurum ſuſpicatus, filias ante miſit, ut ipſe occupatus in re civili poſtea veniret. Quod cum exoptanti

Maſtuſio accidiſſet, filias ejus interfecit, & ſanguinem earum cum vino in cratere mixtum advenienti Regi pro potione dari juſſit, qui cum filias deſideraret, & quid his factum eſset reſciſſet, Mathuſium cum cratere in mari projici juſſit. Ita etiam rurſus anno poſt Ilii excidium tertio, *quum peſte graviſsima vexarentur Locrenſes*, edita ſors eſt ab Apolline, non aliter mali finem inventuros, quam ſi ad *placandam Minervam* Ilienſem, ob imminutam Caſſandræ virginitatem ab Ajace univerſæ genti Locrorum infenſam *binas Locrides virgines* ſorte lectas per annos mille continuos Ilium mitterent. Hiſce virginibus Trojani inſidias ſtruere ſoliti, eaſque crudeliſſime enecare, ſummo ſtudio caventes, ne urbis aditus ipſis pateret. Hiſtoria eſt nobiliſſima, quam pluribus narrat Lycophron, & ad illum Tzetzes; tangunt Polybius l. XII. Strabo l. XIII. p. 269. Plutarchus de ſera numinis vindicta. p. 557. *Neque diu eſt, quod Locri deſierunt virgines ad Trojam mittere*

Quæ pedibus nudis ſeu ſervæ corpore nudo,
Sub lucem circum verrebant Palladis aram:

Ob Ajacis libidinem. Licet autem Plutar-

 chus

chus & Strabo de hoc taceant, Servius tamen expreſſe affirmat, *has puellas Palladi in ſacrificium fuiſſe miſſas* in lib. 1. Æneid. his verbis. *Minerva quotannis unam nobilem puellam juſsit Ilium ſibi ad ſacrificium mitti.* Vide ſupra p. 187. At Tzetzes authorem Timæum laudans, deſitum hunc morem ſcribit, poſt confectum bellum Phocicum. *Potniarum* quoque *incolæ* circa Thebas habitantes, ut *peſtilentiam* ſibi incumbentem *ſufflaminarent, puerum pubeſcentem Baccho mactare* coacti ſunt. De quo hunc in modum ſcribit Pauſanias lib. IX. *Et ibidem eſt Liberi Patris ædes cognomine Ægoboli, id eſt capram cædentis. Ita enim aliquando accidit, ut dum ſacrificarent, per temulentiam eo vecordiæ proceſſerint, ut ipſum Liberi Patris Sacerdotem occiderint: quod piaculum cum atrox peſtilentia conſecuta eſſet, ex Delphici Apollinis reſponſo puerum Libero jam pubeſcentem mactandum acceperunt.* Sic Libanius in declamatione XLIII. docet, Græcos etiam in peſte hunc ritum obſervaſſe. *Ad ſortem occaſio invitabat: Sed patribus præſentibus & nominibus, quæ filiis ipſorum erant impoſita, in ſortibus inſcriptis, atque aliis rebus deinceps*

per-

peractis, ſors incidit in filium hujus, qui multa & dira commiſit: plauſus, ut ſcitis, conſecutus eſt, quia nimirum futurum erat, ut duobus malis & peſte & malo ſatu liberaremur, ergo juſtum erat, ut extemplo mactaretur victima & morbus abſcederet. Vitus Winſemius etiam auctor eſt Leocorii nomen inde originem trahere, quod peſte Athenis ſæviente eo in loco mactatæ & immolatæ fuerint viro intactæ puellæ, quæ cujuſdam ex civibus Athenienſibus filiæ erant. Sed errat maxime, cum non peſtilentiæ ſed famis tempore, iſtæ puellæ a Patre Leus immolatæ fuerint ſicut cap. XIV. pag. 212. ex Libanio patet. Cum *Peſtilentia* etiam *Lacedæmonem urgente divinitus ſignificatum eſſet ceſſaturam luem, ſi pro more generoſam immolarent virginem;* ἐὰν παρθένον εὐγενῆ κατ᾽ ἔτος θύωσιν. Helena autem cum eſſet aliquando ſorte ducta & ornata produceretur, aquila devolans gladium abripuit, ſunt verba Ariſtodemi congerie tertia Fabul. Ita *Phaleriis graſſante peſte, oraculo indicatum eſt finem fore mali,* ἐὰν παρθένον τῇ Ἥρᾳ θύωσιν κατ᾽ ἐνιαυτὸν, *ſi quotannis Iunoni virginem litarent.* Ea ſuperſtitio cum perduraret, for-

ſorte lecta victimæ loco Valeria Luperca ſtrictum ab ea gladium rapuit aquila, depoſitoque in ea quæ comburenda igni erant bacillo, cui exiguus erat præfixus malleus, gladium injecit buculæ cuidam propter templum paſcenti. Id intelligens virgo, bucula mactata rem ſacram fecit, ſublatoque malleo ſecundum domos circumivit, lenique ictu excitavit ægrotantes, Valere unicuique dicens. Atque hinc eſt, quod illa ſacra in hunc uſque diem aguntur. Sicut commemorat Ariſtides l. XIX. Italicorum. Cyanippus Syracuſanus cum Diis ſacrificaret, ſolum Bacchum præteriit. Irritatus Deus ebrietatem ei immiſit, per quam in obſcuro loco filiam Cyanem compreſſit. Ea patris digito detractum annulum nutrici adſervandum tradidit agnitionis argumento futurum. λοιμωξάντων δὲ, καὶ τοῦ πυθίου εἰπόντος μὲν δεῖν τὸν ἀσεβῆ τροπαίοις θεοῖς σφαγιάσαι. *Peſte oborta cum Apollo Pythius reſpondiſſet inceſtum hominem eſſe* Diis *averruncatoribus malorum immolandum*; Cyane ſenſum oraculi alios fallentem percipiens crinibus arreptum *Patrem protraxit*; & eum ſeque inſuper ipſam

ipſam ἐπέσφαξε *jugulavit*: ſunt verba Doſithei lib. III. Rerum Sicularum ex lingua Græca tranſlata. Cum autem Romæ media in urbe terra vaſtum in hiatum dehiſceret, qui peſtilentes vapores evomendo totam urbem infecerat, *hominesque morbis inſanabilibus* & morti involverat juxta, Joh. Lud. Gotfridum lib. II. pag. 174. *Curtius* quidam eques Deorum monitu armatus cum equo maxime exornato ſe in hanc *foveam immiſit*, & ita *ſe Diis Manibus immolavit*; ſicut docent Valerius Maximus lib. V. cap. 6. Livius lib. VII. c. 6. p. 258. Oroſius lib. III. c. 5. aliique alibi indicati. Sed hanc de Curtio Hiſtoriam ita narrat Plutarchus ex Ariſtide lib. XL. Italicorum. *Per medium forum fluens Tiberis ob iram Iovis Tarſii* μέγιστον ἀπέῤῥηξε χάσμα, καὶ πολλὰς οἰκίας ἐβύθισε *ingentem aperuit hiatum, multaſque abſorpſit domos. Oraculo moniti finem fore, ſi pretioſam rem injicerent, aurum & argentum injecerunt. Sed Curtius unus de primariis juvenibus ſententia oraculi intellecta, animamque iſtis præſtantiorem ſentiens*, ἔφιππον ἑαυτὸν ἔῤῥιψεν εἰς τὸ χάσμα *eques*

ſe

ſe ipſum in hiatum immiſit, ſuoſque calamitate ſolvit. Plutarchus in Parallelis pag. 307. Hinc etiam Suetonius in Octavio p. 49. cap. 57. ſcribit; *omnes Ordines in lacum Curtii quotannis ex voto pro ſalute* (Octavii) *ſtipem jeciſſe.* Etiam *Carthaginienſes* ita ſævum hoc *peſtilentiæ* malum in exilium mittere annixi fuerunt. Juſtinus lib. XIIX. *Cum inter cætera mala* (Carthaginienſes) *etiam peſte laborarent, cruenta ſacrorum religione, & ſcelere pro remedio uſi ſunt. Quippe homines ut victimas immolabant, & impuberes aris admovebant.* Sic *Maſſilienſes* quoque noxioſiſſima *peſtilentia afflati pauperem* ſacris veſtibus & verbenis ornatum, & integro anno omnibus lautitiis ſaginatum *velut victimam* piacularem *Deis obtulerunt* & projecerunt. Petronius Arbiter Satyr. pag. 149. Imo alios populos ita malum hoc exſtinguere voluiſſe, ut opinor, innuit Petronius Satyr. pag. 4. *Sed reſponſa in peſtilentiam data, ut virgines tres aut plures immolentur.* Sic etiam Philoſtratus in vita Apollonii lib. IV. cap. 3. narrat, quod, *cum Epheſi peſtis vehementer graſſaretur,* Apollonius populo mandave-

rit,

rit, *quemdam* mendici habitu indutum *lapidibus obruerent*, dicens: βάλλετε τὸν θεοῖς ἐχθρὸν. *Obruite Deorum inimicum*, quo ita occiſo, ſub lapidum mole canis poſtmodum occiſus apparuit, & peſtis deſiit.

Cap. XIV.

Victimæ humanæ immolatæ ad abigendam famem & agrorum ſterilitatem. Diſſenſus inter Plutarchum, Apollodorum, Tzetzam, Pauſaniam & Iſocratem. Labyrinthus. Libanius illuſtratur, & Propertius: Tentatur Pauſanias. Illuminatur, 1 Reg. 11. 31. & Latinus Pacatus. Homines mactati ad inundationes cohibendas.

HÆc dira *Hominum ſacrificia*, non tantum peſtis ſed etiam *famis*, ſive *agrorum ſterilitatis* præſentaneum *remedium* a gentilibus habebantur. De *Buſyride Ægyptiorum Rege* his victimis famem ex Ægypto ejiciente audi Apollodorum lib. 11. Biblioth. Ταύτης ἐβασίλευε Βούσιρις Ποσειδῶνος παῖς, καὶ Λυσιανάσσης τῆς Ἐπάφου, οὗτος τοὺς ξένους ἔθυεν ἐπὶ βωμῷ Διὸς, κατά τι λόγιον. ἐννέα γὰρ ἔτη ἀφορία τὴν Αἴγυπτον κατέλαβε, Θράσιος δὲ ἐλθὼν ἐκ Κύπρου, μάν-

μάντις τὴν ἐπιστήμην, ἔφη τὴν ἀφορίαν παύσασθαι, ἐὰν ξένον ἄνδρα τῷ Διὶ σγάξωσι κατ᾽ ἔτος. Βούσιρις δὲ ἐκεῖνον πρῶτον σφάξας τὸν μάντιν, τοῖς κατιόντας ξένοις ἔσφαζε. συλληφθεὶς οὖν καὶ Ἡρακλῆς τοῖς βωμοῖς προσεφέρετο. Τὰ δὲ δεσμὰ διαῤῥήξας, τόν τε Βούσιριν καὶ τὸν ἐκείνου παῖδα Ἀμφιδάμαντα ἀπέκτεινε, καὶ τὸν κήρυκα Χάλβην. In *qua (Ægypto) Buſiris ex Neptuno ac Lyſianaſſa Epaphi filia natus regnabat. Hic ad Iovis aram hoſpites oraculo quodam monitus immolabat; annos enim novem Ægyptus agrorum ſterilitate laboravit. Inter hæc Thraſius vaticinandi peritus e Cypro advenit, qui hanc annonæ caritatem deſituram eſſe pronunciavit ſi virum hoſpitem quotannis Iovi mactaviſſent. Tum Buſiris vate illo prius immolato; advenientes deinceps jugulabat. Comprehenſus itaque & Hercules etiam ad aras trahebatur, at diſruptis vinculis, Buſirinque & ejus filium Iphidamantem & Chalbem caduceatorem necavit.* Hyginus fab. LVI. conſentit. *In Ægypto apud Buſiridem Neptuni filium cum eſſet ſterilitas, & Ægyptus annis novem ſiccitate exaruiſſet, ex Græcia augures convocavit. Thaſius Pigmalionis fratris filius Buſiridi monſtravit, immolato hoſpite venturos imbres promiſ-*

miſsiſque fidem ipſe immolatus exhibuit. Cum *Thebis* etiam pluviæ cœlo diu ſuſpenſæ, & Sol nimio ardore furens *frugum penuriam, ſterilitatem* & peſtilentiam induxiſſent, *Menycus* Jocaſtæ pater ex reſponſo Tireſiæ vatis ſe ut *victimam de muris præcipitans* cives ſuos malo hoc abſolvit. Conſule Hyginum fabul. LXVII. *Interim Thebis ſterilitas frugum & penuria incidit, ob Oedipodis ſcelera, interrogatúſque Tireſias, quid ita Thebæ vexarentur, reſpondit, ſi quis ex Draconteo genere ſupereſſet, & pro patria interiiſſet, peſtilentia liberaturum; tum Menycus Iocaſtæ pater ſe de muris præcipitavit.* Apud *Athenienſes fames repulſa* eſt ex oraculo Leus *filiarum immolatione & ſanguine.* Libanius declamat: XXVII. Patris Apolog. & Scholiaſtes ad eum Λοιμοῦ ποτε καταλαβόντος τὰς Ἀθήνας ἔχρησεν ὁ θεός, μὴ παύσεσθαι τὸ δεινὸν πρὶν ἂν τῶν πολιτῶν τις τὰ ἑαυτοῦ τέκνα ἐπιδῷ πρὸς αἰκίζεσι. Λεώς τις ἔχων τρεῖς θυγατέρας Φρασιθέαν, Θεοπόμπην, καὶ Εὐβούλην προθύμως ἐπιδέδωκεν. ὅθεν αὐταῖς τὸ ἱερὸν ὠκοδομήθη τὸ καλούμενον λεωκόρειον. *Cum fames Athenis graſſaretur, oraculo reſponſum eſt, malum prius non ceſſaturum, quam civis aliquis liberos ſuos ad necem traderet.*

ret. *Tum Leus quidam tres ſilias ſuas Phraſitheam, Theopompem, & Eubulen alacriter dedit. Quare ipſis templum ſtructum eſt, lcocorium appellatum.* Apud *Bæotios Phryxus* deſtinatus erat, *ut ſanguine ſuo* Jovi libando *ſteriles agros fæcundaret*, penuriamque ex Bæotiæ finibus proturbaret. Apollodorus lib. 1. Ἰνὼ δὲ τοὺς πεμφθέντας ἀνέπεισε λέγειν, ὡς εἴη κεχρησμένον παύσασθαι τὴν ἀκαρπίαν, ἐὰν σφαγῇ Διῒ ὁ Φρίξος. Τοῦτο ἀκούσας Ἀθάμας, συναναγκαζόμενος ὑπὸ τῶν τὴν γῆν κατοικούντων, τῷ βωμῷ παρέστησε Φρίξον. *Ino vero miſſos ad id reſpondendum induxit, ut ſi ſterilitate liberari velint, Apollinem præcepiſſe referant; Iovi Phryxum eſſe jugulandum; quod ubi accepit Athamas, cum ab agrorum colonis impelleretur, Phryxum ad aram conſtituit.* Hyginus fabula 11. eandem hiſtoriam commemorat: & U. Flaccus Argonaut: lib: 1. eadem refert.

> *Noſtri de ſanguine Phryxus*
> *Cretheos ut patrias, audiſti, effugerit aras;*
> *Hunc ferus Æetes, Scythiam Phaſumque rigentem*
> *Qui colit (heu magni Solis pudor) hoſpita vina*

Inter & attonitæ mactat ſolennia menſa.

Palæphatus de fabuloſis narrationibus hæc de Phryxo addit. *Narrant inſuper, Phryxo ab Ariete prædictum fuiſſe, quod Pater Athamas eum mactare in animo habebat.* Eadem de cauſa, *ut ſiccitati*, qua terra languebat, *ſuccurreret*, *unus* de primoribus urbis *Haliartidis proprium filium neci dedit.* Pauſanias lib. IX. pag. 691. *Laboraſſe quondam ſiccitate ob ſummam aquarum penuriam agrum totum Haliartidis memorant. Virum eo tempore unum de primoribus Delphos veniſſe ad conſulendum, qua ratione aqua inveniri poſſet, reſponſum accepiſſe, ut qui primus Haliartum redeunti obvius factus eſſet, illum occideret. Quare cum primus ei filius impuber Lophis occurriſſet, nihil cunctatum ſtricto gladio puerum percuſſiſſe.* Eadem *ſterilitas* Pelaſgos (quos Philiſtus Syracuſanus Lygures, Thucydides Siculos vocat) in Italia commorantes eo *impulit*, ut propriorum filiorum ſanguine, *proliſque primitiis* agrorum ſitim & ſitum, atque *famem* ex frugum penuria naſcentem *auferre*, & fœcunditatem redimere ſategerint. Teſtis Dionyſius Halicarnaſſeus lib. I. cap. 24.

An-

Antiq: *Poſt relatum domum oraculum non poterant, quid ſibi vellet, conjicere, quibus hæſitantibus, ſenior quidam id interpretatus eſt; toto cælo errare eos, qui putent Deos immerito de ipſis conqueri. Rerum enim cæterarum primitias rite redditas. Humanæ vero prolis ſortem rem Diis longe chariſſimam etiamnum deberi, qua juſte perſoluta, oraculum ſatisfactum iri.* &c. Paulo poſt. *Non enim deſiſtebant Civitatum Principes ex adulta juventute primitias diligere, tum ut Diis, quod jure debebatur, redderent, tum quod vererentur, ne qui ex eo numero clam remanentes novas ſeditiones cierent.* Sed hic ritus ab *Aboriginibus* diu obſervatus, tamen poſtea abrogatus deſiit, eodem Halicarnaſſeo teſte lib. 1. cap. 16. *Ex eo more tum quoque Aboriginum quidam, regione ſua viris florente (natorum enim quenquam necare nolebant, rati facinus id cum primis execrabile) numini cuipiam ſacratis unius anni partubus, hos cum primum virilem ætatem attigiſſent, colonos miſerunt alio.* Sic etiam *Septentrionalis* plagæ, & civium Vermlandorum *incolas* Regem ſuum *Olaum* Trætelge primum regionis iſtius Toparcham igne cre-

crematum Othino ſacrificii loco obtuliſſe memorat Hiſtoria Norvagica, *quo annonæ caritatem* cæteraque incommoda a ſuis cervicibus *propellerent*. Sed mirum quod hanc hoſtiam humanam non Frejo Deo obtulerunt. Nam Hiſtoria Norvagica *Freii* meminit, qui natione Scytha Niordi filius inter Divos Aſiaticos ab Othino relatus eſt. *Hic pluviæ, ſerenitati, & ſplendori Solari præſidebat*, & ut eorum arbiter verre placabatur, ſicut docet hiſtoria Heidrici Reidgothorum Regis. *Athenienſibus* quoque neceſſitas incubuit, ut *ſi Patriam a ſterilitate liberare vellent, ſeptem virgines, totidemque pueros in Cretam Minotauro immolandos* & devorandos in Labyrintho mittere cogerentur. Hanc hiſtoriam prolixe deſcribit Plutarchus in Theſeo pag. 6. *At cum Androgeus in Attica dolo diceretur peremptus, Minoa multas clades bello intuliſſe incolis, ac Deos regionem fœdaſſe. Sterilitatem enim & morbum paſſim incubuiſſe, ac flumina exaruiſſe. Cum autem præcepiſſet Apollo, ſi Minoa placaſſent, & fuiſſent cum eo reconciliati, Divinam iram conſtituram, requiemque fore*
ma-

malorum : hos miſſis legatis cum ſuppliciis ſeciſſe fœdus, ut tributum novem annis mitterent ſeptenos impuberes adoleſcentes, & totidem puellas. Id fere convenit inter Scriptores. Pueros in Cretam deportatos horrendiſſima fabula jactat in Labyrintho Minotaurum peremiſſe, vel vagantes, nec invenire valentes exitum mortuos Apollodorus lib. III. Bibliothecæ ſuæ in hoc cum Plutarcho conſentit. Ὁ δὲ θεὸς ἀπεῖπεν αὐτοῖς Μίνωι δεδόναι δίκας, ἃς ἂν αὐτὸς αἱρεῖται πεμψαντες οὖν πρὸς Μίνωα ἐπέτρεπον αἰτεῖν δίκας. Μίνως δὲ ἐκέλευσε αὐτοῖς κούροις ἑπτὰ, καὶ κόρας τὰς ἴσας. Χωρὶς ὅπλων πέμπειν τῷ Μινωταύρῳ βορὰν. *His numen, quas ipſe vellet, Minoi pœnas daturos renunciavit. Igitur Athenienſes miſſis ad Minoem legatis permiſerunt, ut ab eis, quas pœnas vellet, peteret: tum Minos iis, ut quatuordecim corpora ſeptem ſcilicet puerorum, ac totidem & ætate parium puellarum ſine armis Minotauro devoranda mitterent, imperavit.* Johannes Tzetza Hiſtor. chil. XI. cap. 379. idem docet.

Ὡς δ' ὁ Θησεὺς σὺν ἥλιξιν ἓξ νεανίαις ἄλλοις,
Καὶ σὺν παρθένοις δὲ ἕπτα πρὸς κρήτην,
Διὰ λιμὸν γὰρ καὶ λοιμὸν γενομένους ἀθήναις,

Ἀνθ' ὅυπερ τὸν ἀνδρόγεων τὸν στρατηγὸν τοῦ μίνω,
Οἱ Ἀθηναῖοι ἔκτειναν ἐν τοῖς ἐκεῖσε τόποις,
Κατ' ἔτος ἀπεστέλλοντο ἐξ Ἀθηνῶν εἰς Κρήτην.
Ἑπτὰ παρθένοι, καὶ ἑπτὰ σὺν ταύταις νεανίαι
Ὅπως βρωθῶσι τῷ θηρὶ, καὶ τὸ δεινὸν παυθείη.

Ut autem Theſeus cum coætaneis ſex juvenibus alijs
Et cum virginibus ſeptem in Cretam miſſus eſt,
Propter famem enim & peſtilentiam graſſantem Athenis,
Eo quod Androgeum Ducem Minois
Athenienſes occiderunt, in illis locis
Annuatim mittebantur ex Athenis in Cretam
Septem virgines & ſeptem cum his juvenes,
Ut vorarentur a fera, atque illud periculum ceſſaret.

Sed Athenienſes non tam ſterilitate, quam bello a Minoe Cretenſium Rege preſſos ad hanc neceſſitatem veniſſe vult Pauſanias lib. 1. pag. 61. *Minoem graviter eo caſu* (cum filius Androgeus a tauro per Neptunum immiſſo percuſſus periiſſet) *commotum, cum id Athenienſium fraude accidiſſe interpretaretur, comparata claſſe Athenas veniſſe oppugnatum, ac non prius Athenien-*

nienſes vexare deſiiſſe, quam pacti ſe eſſent pueros ſeptem, ac totidem virgines quotannis in Cretam miſſuros, qui Minotauro, quem Minos in labyrintho Gnoſi incluſerat, traderentur. Unde etiam Iſocrates in Helenæ laudat: ſcribit has victimas tributi nomine eſſe miſſas. Περὶ δὲ τοὺς αὐτοὺς χρόνους, τὸ τέρας τὸ τραφὲν μὲν ἐν Κρήτῃ. γενόμενος δ᾽ ἐκ Πασιφάης, τῆς ἡλίου θυγατρὸς. ᾧ κατὰ μαντείαν δασμὸν ἡ πόλις δὶς ἑπτὰ παῖδας ἀποστέλλουσα. *Circa eadem tempora cum monſtrum illud in Creta educatum, atque ex Paſiphae Solis filia natum exſtitiſſet: cui tributi nomine noſtra urbs bis ſeptenos pueros ex oraculo mittebat.* In bibliotheca ſua de Deis Apollodorus lib. III. dicit, Dædalum labyrinthum exſtruxiſſe. Καὶ τὸν λαβύρινθον κατεσκεύασεν, εἰς ὃν κατὰ ἔτος Ἀθηναῖοι κούρους ἑπτὰ, καὶ κόρας τὰς ἴσας, τῷ Μινωταύρῳ βορὰν ἔπεμπον. *Ac* (Dædalus) *Labyrinthum conſtruxit, ad quem quotannis Athenienſes virgines ſeptem, ac totidem pueros ætate pares Minotauro vorandos mittebant.* Hujus labyrinthi & hiſtoriæ etiam meminerunt Libanius Orat. XIX. Ovidius in Metamorphoſi. Virgilius lib. VI. Æneidos & Servius ad illum. Juvenalis Satyr. I.

pag. 5. Quomodo autem Theſeus hoc crudele ſervitutis jugum ab Athenienſium cervicibus excuſſerit, docet Iſocrates laudat: Helenæ. *Cum videret* (Theſeus) *eos duci, toto populo comitante, ad necem indignam certumque interitum: & viventes adhuc lugeri pro mortuis: tanta indignatione exarſit, ut potius eſſe duxerit emori, quam vivere turpiter, & imperare civitati, quæ tam miſerabile tributum hoſtibus pendere cogeretur. Conſcenſo igitur una cum illis navigio: & ea natura ſuperata, quæ quidem e viro & tauro conflata eſſet, tantoque robore polleret, quanto par eſt eam, quæ talibus corporibus conſtat: non pueros ſolum parentibus incolumes reſtituit, ſed urbem etiam tam injuſto tamque acerbo & inevitabili edicto liberavit.* Ad hæc verba *viventes adhuc lugeri pro mortuis* reſpexiſſe videtur Libanius Sophiſta in deſcript: vitæ ſuæ dicens. Νικομηδεῖς μὲν οὖν, ἡμᾶς ἔτι ζῶντας ἐπένθουν, ὥσπερ οἷς εἰς τὸν λαβύρινθον ἔπεμπον Ἀθηναῖοι. *Quare Nicomedenſes nos adhuc viventes lugebant, tanquam eos, quos Athenienſes ad labyrinthum mittebant.* Poetæ fabulantur, Theſeum filo duce labyrinthum ingreſſum Mino-

tau-

taurum obtruncaſſe, & eodem filo viam monſtrante regreſſum fuiſſe. Ita præter Virgilium & Ovidium Catullus in Epithalamio canit de Theſeo.

Errabunda regens tenui veſtigia filo.

Propertius lib. II. eleg. II. p. 511. item.

Nec ſic incolumem Minois Theſea vidit,
Dædaleum lino quum duce rexit iter.

Linum hic pro *filo* ponitur, ut apud Celſum lib. VII. cap. 14. *tumor ad imum acu trajectatur, duo lina ducente.* Ad hanc hiſtoriam Cælius Sedulius Scotus Paſchalis lib. I. ita alludit.

Athenæi pædorem linquite pagi.
Quid labyrintheo Theſidæ erratis in antro
Cæcaque Dædalei luſtratis limina tecti?

Et Johann. Tzetza idem de Theſeo teſtatur Chil. IX. cap. 379. *Cretenſes,* Philochorus author eſt, hæc inficias ire, ac dicere cuſtodiam Labyrinthum fuiſſe, quæ nihil mali, niſi quod non valerent inde effugere cuſtoditi, haberet: Minoa in Androgei memoriam ludos gymnicos feciſſe victoribusque præmio didiſſe pueros, qui tunc in labyrintho coſtodiebantur. Plutarchus idem approbat,

bat, ſicut & ego etiam illis aſſentio. Incolæ inſulæ Kokotoræ, quando nimia ſiccitate cœlum & terra lugent, aliquem ex popularibus ſuis in loco quodam collocatum circo ſepiunt, ex quo ipſi ſub pœna capitis exire non liceat. Deinde lunam adorare, ut agros pluviis ditet fœcundis, tenetur, quod ſi vero intra decem dies nullis imbribus terra irrigetur, illi manum amputant, ut ita tandem cœlum exorent. Dapperus deſcript. Afric. Hæc etiam cauſa eſt, cur quidam Americani, *quo tempore ſemina jaciuntur in terram, aut quando jam ſpicantur ſegetes, quoſdam pueros puellasque, aut illis deficientibus ſervos Diis ſuis immolant.* P. Martyr: de novo Orbe dec. IV. c. 8. 314. *De vera autem cauſa & veritate harum victimarum humanarum ad peſtem & famem pellendam immolatarum* audi Plutarchum de Oracul. Defectu p. 417. *Et quod olim homines immolati fuerunt, probabile eſt, neque Deos popoſciſſe, neque admiſiſſe talia ſacrificia: atque Duces fruſtra ſuſtinuiſſe dare* pro hoſtia *prolem ſuam, & ſacra ipſos fuiſſe auſpicatos,* hoſtiamque jugulaſſe: *ſed feciſſe hoc, ut iras*

&

& indignationes malorum & moroſorum averruncarent geniorum, aut diris ſatiſfacerent dæmonibus, nonnullorum etiam inſanos & tyrannicos exſatiarent amores, qui cum non poſſent aut non vellent corpore corpori miſceri, ſicut Hercules Oechaliam virginis cauſa oppugnavit, ita validi violentique Dæmones illi poſcentes dedi ſibi animam humanam corpori incluſam; cum corporis commixtione amorem ſuum non poſſunt explere, λοιμοὺς τε πόλεσι καὶ γῆς ἀφορίας ἐπάγουσι, καὶ πολέμους καὶ στάσεις ταράττουσιν, ἄχρις οὗ λάβωσι καὶ τύχωσι οὗ ἐρῶσιν; peſtes urbibus ac ſterilitates inferunt, *bellisque eas & ſeditionibus exagitant, donec conſequantur amatam animam.* Tzetza autem Hiſt. chil. v. cap. 23. author eſt, non tantum in fame, peſte, agrorumque ſterilitate, ſed etiam in *omnibus* promiſcue *calamitatibus* ab Ethnicis hominem deformiſſimum in holocauſtum Deis comburi conſueviſſe, quod vocabant φαρμακὸν, κάθαρμα *pharmacum, purgamentum.* Hic eruditioribus, & quibus otium ſuppetit diſcutiendum propono, an Pauſanias lib. v. pag. 351. etiam ejuſmodi *pharmacum, humanamque victimam* innuat his verbis? *Sunt,*

qui in id cauſam (tetri & peſtilentis odoris fluminis Anigri) *referunt*, *quod inſaniæ morbo liberatis Præti filiabus*, *Melampus Amythaonis filius piacula in hunc amnem abjecerit*. Et quid hic ſibi vult per piaculum? ἄγος *piaculum* certe *eſt cædis culpa*. Occurrit ita *piaculum* ea in ſignificatione apud Statium Thebaid. lib. VI. pag. 195. *Et infauſti cremet atra piacula belli*. Eadem ſignificatione poſitam invenies vocem Græcam ἄγος *piaculum*, 1 Reg. 11. 31. Ubi Rex Salomo mandat Benajæ, ut Joabum ab altaris cornibus, ad quæ occiſo Adonia confugerat, abſtraheret. *Irrue in eum* inquit, *ut amoveas culpam ſanguinis immeriti, quem effudit Ioab a me & domo patris mei*. Nempe quia Joab Abſalonem occiderat & tranſfixerat. *Piaculum* ἄγος profecto hic homo erat, qui obtruncabatur. Eodem etiam ſenſu vox ἄγος *piaculum* poniter apud Plutarchum in Pericl. vita p. 170. *Lacedæmonii juſſerunt Athenienſibus* τὸ ἄγος ἐλαύνειν, ᾧ τὸ μητρόθεν γένος τῷ περικλέους ἔνοχον ἦν, piaculum (*nempe Periclem*) *ejicere*, *quo erat ex genere materno contactus Pericles*, ut tradit Thucydides. Vide in-

inſuper Latinum Pacatum in Paneg. cum Theodoſius Maximum Tyrannum viciſſet. *Et duobus aut tribus furioſi gladiatoris laniſtis in belli piaculum cæſis.* Adde Juvenalem Satyr. XII. pag. 104.

Et ſi qua eſt nubilis illi
Iphigenia domi, dabit hanc altaribus, & ſi
Non ſperat tragicæ furtiva piacula cervæ.

Adiiciatur Plinius paneg. Traj. pag. 358. de delatoribus loquens. *Cum velut piaculares publicæ ſolicitudinis victimæ ad lenta ſupplicia ducerentur.* Unde ex his locis colligi poſſet, furoris iſtius Præti filiarum culpam a Melampo in aquam fuiſſe conjectam. An vero homo fuerit, dicere nequeo, nec inquirere vacat. Hoc ex eodem Pauſania lib. II. p. 140. didici, quod Melampus fœminas, quæ tempore Regis Anaxagoræ furore correptæ per totum agrum palantes vagabantur, ſanaverit, quodque eo in loco, quo filiæ ſuæ menti ſunt reſtitutæ, Prætus templum ædificaverit. Pauſanias lib. II. p. 119. Dici etiam poſſet, Diabolum ſub hominis forma latentem fuiſſe, qui fœminas illas eo furore dementavit, &

a Melampo in flumen eſſe deturbatum, ſicut Apollonius Tyanæus ejuſmodi hominem ſive dæmonium velut pharmacum & piaculum lapidibus obrui juſſit; eo quod tota urbs Epheſus ab eo peſte erat incenſa. Vide Philoſtratum in Apollonii vita lib. IV. c. 3. Attamen magis veriſimile eſt, per piacula in loco illo Pauſaniæ intelligi omnia illa, quibus antiquitus aliquem piare, purgare & luſtrare conſueverunt, qualia ſunt ſal, variæ herbæ, bitumen, faces aquæ ſulphuratæ intinctæ, quas luſtratione & purgatione peracta Piatrices ſeu ſimulatrices (quo nomine fœminæ appellabantur, quæ luſtrationes agebant & operabantur) aut expiatores averſi trans caput in mare & flumina jaculabantur; ſicut alibi prolixius indicabimus. Quibus ex rebus, cum peſſime oleant, fluvius ille, de quo Pauſanias, tetrum illum & peſtilentem odorem contrahere potuiſſet. Tamen ut antea præmonui, nihil hic definire volo. Præter peſtis famisque calamitates, etiam *humano ſanguine Oceani intumeſcentis inundationes refrænare enixi ſunt.*

Nam

Nam juxta Celænas urbem Phrygiæ *vaſto terræ hiatu aquæ pleno* ob Jovis Idæi iram facto, multæ domus cum ipſis habitatoribus immerſæ ſunt. Itaque populo periclitante Midas Rex oraculum accepit, coituram terram, ſi in voraginem, quod in humana vita pretioſiſſimum eſt, iniiceretur. Cælenitis autem aurum & argentum, mundumque fœminarum barathro immittentibus, & malo interim minime ceſſante, *Ægyſtheus* (*Anchurus*) Midæ filius cum ſecum reputaſſet, nihil in vita pretioſius haberi quam hominis animam, patrem amplexus, & mandatis uxori Timotheæ relictis μεθ' ὁρμῆς ἐφίππος εἰς τὸν τόπον τοῦ χάσματος ἠνέχθη, *eques cum impetu in hiatum deſilit.* Exſcripſi ad verbum hiſtoriam hanc ex Calliſthene in II. transformat: apud Stobæum ſerm. 1. p. 5. ex verſione Conradi Geſneri. Eandem hiſtoriam narrat Plutarchus Parall. p. 306. qui Auchurum fuiſſe nominatum ait. Sic *cum in media parte fori Romani vaſto ac repentino hiatu terra ſubſideret*, ut loquitur V. Maximus lib. v. cap. 6. §. 2. (quem *terræ motui* Livius, *Tiberis inunda-*

tioni Ariſtides & Plutarchus adſcribunt,& *cùm hæc vorago conjectu terræ non expleri poſſet, ſed multas domos abſorberet, Deorum monitu quæri captum; quò plurimum populus Romanus poſſet. Id enim illi locô dicandum Vates canebant, ſi Rempublicam Romanam perpetuam eſſe vellent* (vel juxta Auguſtinum oraculis reſponſum eſt, *ut illuc id quod Romani haberent optimum*, ſecundum Ariſtidem & Plutarchum *pretioſum mitteretur:*) *& cum aurum & argentum fruſtra injeciſſent, M. Curtius juvenis bello egregius, & animi & generis nobiliſſimus*, atque *unus ex civibus primariis interpretatus verbum*(Romam) *virtute armisque præcipue excellere, caſtigaſſe fertur dubitantes, an ullum magis Romanum bonum, quam arma virtusque eſſet? Silentio facto templa Deorum immortalium, quæ foro imminent, Capitoliumque intuens, & manus nunc in cælum, nunc in patentes terræ hiatus ad Deos Manes porrigens ſe devovit. Equo deinde quam poterat maxime exornato inſidens, & militaribus inſignibus ornatus, ſe armatum & equum vehementer admotis calcaribus præcipitem in ſpecum, abruptum terræ hiatum & illud profundum egit, immiſitque, donaque*

ac

ac fruges ſuper eum a multitudine virorum & mulierum civium honoris gratia congeſtæ & injectæ ſunt, continuoque terra priſtinum habitum recuperavit, & ita Curtius ille equitis & equi mole vel onere hiatum profundæ voraginis coæquavit. In hac hiſtoria narranda exhibui verba T. Livii lib. VII p. 212. Valerii Maximi lib. V cap. 6 §. 2. M. Felicis in Octavio pag. 5. Auguſtini de Civitate Dei lib. V. cap 18. Ariſtidis libro. XL. Italicor. quibus addantur Zonaras Drungarius Magnus tom. II. Annal. pag. 62. Oroſius lib. III. cap. 5. Polybius lib I. Sed Joh. Luthov Godtfridus in Hiſtor. tom. I. lib. II. pag. 147. author eſt, quod peſtis, quæ tunc temporis miſere Romanos affligebat, ex peſtilentialibus & noxiis vaporibus a voragine iſta emiſſis, originem habuerit; ſicut cap. III. pag 28. & XIII. pag. 208. diximus; quod etiam defendi poteſt. Nam nemo ex prædictis Authoribus ullius damni ex hac voragine Vrbi Romæ illati meminit, præter Ariſtidem, qui domos aliquot eſſe hauſtas ſolus affirmat: abſurdum igitur & ſupervacuum foret,

ſi Curtius ſe ipſum occidiſſet & in hiatum illum inſiliiſſet, cum nullum aut tam exiguum eſſet damnum factum. Præterea Ariſtides in Italicis & Plutarchus in Parallelis ſcribunt Curtium ſua morte Romam a calamitate liberaſſe, per quam calamitatem peſtilens morbus cum ſale intelligi poteſt, cum præcipue iſtis temporibus vehentiſſima peſte Roma laboraret. Suetonius etiam, ut ſupra vidimus, teſtatur in Octavio. quod *omnes Ordines in lacum Curtii quotannis pro ſalute Octavii Auguſti ſtipem conjicere* conſueverint: quæ verba innuere videntur, lacum illum Curtii morborum noxiorum & mortis fuiſſe cauſam. Sed unicuique hic ſuum judicium de hac re liberum relinquere volo. Sic etiam de Majoribus noſtris Friſiis Winſemius lib. 1. Chron. Friſiæ narrat, quod circa annum CLX. circa Stauriam ex effoſſo puteo tanta aquarum vis eruperit, ut circumjacentes regiones ſubmergere minaretur, quare idolum ſuum Stavonem nomine de remedio adierunt, qui hanc *ſcaturiginem* effuſo *triennis infantis ſanguine obturari poſſe*

re-

reſpondit, ſi cum iſta aqua ſalſa temperaretur. Quo peracto ſe oraculo non fruſtratos intellexerunt.

Cap. XV.

Victimæ humanæ immolatæ in ventis adverſis. Lycophron illuſtratus, & Apuleius. Cum in mari periclitarentur. De Jona. Horatius explicatur & illuſtratur. Nautæ Deis Marinis & Neptuno immolati.

JAm alium, *tertium* nempe horum horrendorum *ſacrificiorum finem* percurremus, qui præcipue circa mare ſævasque tempeſtates verſatur. Cum itaque *adverſus navigantibus ſpiraret ventus*, *ſanguinem humanum profundere* non erubuerunt, ut ventum ſecundum adipiſcerentur. Hyginus fabul. CCLXI. de Græcis Trojam trajecturis id teſtatur. *Cum de Græcia ad Aulidem Danai veniſſent; Agamemnon Dianæ cervam occidit ignarus: unde Dea irata, flatus ventorum removit. Quare cum nec navigare poſſent, & peſtilentiam ſuſtinerent, conſulta oracula dixerunt, Agamemnonio ſanguine eſſe placandam Dianam.*

Ovi-

Ovidius lib. XII. Metam. pag. 344. compendio hiſtoriam exhibet.

Sanguine virgineo placandam virginis iram
Eſſe Deæ. Poſtquam pietatem publica cauſa
Rexque patrem vicit, caſtumque datura cruorem
Flentibus ante aram ſtetit Iphigenia miniſtris:
Victa Dea eſt, nubemque oculis objecit, & inter
Officium, turbamque ſacri, vocemque precantum
Suppoſita fertur mutaſſe Mycenida cerva.

Lycophron in Caſſandra innuere eandem hiſtoriam videtur,

Ἣν ὁ ξύνευνος σαλμυδησίας ἁλὸς
ἐντὸς ματεύων ἐλλάδος καρατόμον
δαρὸν Φαληριῶσαν οἰκήσει σπίλον
κέλτρυ πρὸς ἐκβολαῖσι λιμναίων ποτῶν,
ποθῶν προθεῖσα φασγάνων ἐκρύσεται. &c.

Quam ſæpe conjux Salmydeſium ſalum
Intra requirens immolatricem hoſpitum
Spumifragam inſulam obſidebit Candidam
Celti liquentes an paludes gurgitis
Amore ſponſæ, cerva quam volucripes
Iugulum propinans eximet ſeceſpita.

De eadem Iphigeniæ immolatione adi-

præterea Acronem Scholiaſtem Horatii. Euripidem Iphigen. in tauris ubique. Plutarchum in Paralell. p. 309. Meryllum lib. 1. Bæoticorum. Sophoclem in Electra p 655. & 656.

Κατεῖχ᾽ Ἀχαιοὺς, ὡς πατὴρ ἀντίσαθμον
Τοῦ θηρὸς ἐκθύσειε αὑτοῦ κόρην.

Diana detinebat Achæos (in Aulide) *ut pater pro pari pondere feræ immolaret ſuam ipſius filiam.* Hinc intelligitur Apuleius de Deo Socratis p. 69. *Cal. has ſua divinatione, & tempeſtates flexit, & claſſem deduxit, & decennium prædixit.* &c. *Flexit* autem *tempeſtates*, dixit Apuleius, quia Calchas Græcis auctor fuerat, ut Iphigeniam immolarent, ſi vellent, ut tempeſtas ventusque adverſus flecteretur & miteſceret, claſſemque deducerent. Verſutus etiam Sinon Trojanis mentiebatur, ſe ad ſacrificium & immolationem ab oraculo fuiſſe nominatum, ut Græci ita domum cogitantes, patriamque repetere in animo volventes, ventorum favorem captarent, reditumque proſperum acquirerent. Cointus Smyrnæus lib. XII. id teſtatur

tur Dares Phrygius de excidio Trojano. pag. 157. *Ut dies receſſionis advenit, tempeſtates magnæ exortæ ſunt, & per aliquot dies remanſerunt. Calchas reſpondit inferis non eſſe ſatiſſactum; Neoptolemo in mentem venit, Polyxenam, cujus cauſa perierat pater, non eſſe in regia inventam.* Paulo poſt. *Agamemnon Neoptolemo illam tradidit, iſque eam ad tumulum Patris jugulat.* Cum Darete conſpirat Cointhus Smyrnæus lib: XIV. *Menelaus* etiam, cum per ventum ex Ægypto abire non licebat, *duos pueros immolavit; ut ventus ceſſaret.* Herodotus lib. II. p. 130. Sic *cum Pæni ſocietatem cum Siculis adverſus Romanos machinarentur, Metellus Romanorum Dux ſoli Veſtæ rem ſacram non fecit: ea ventum claſſi adverſum immiſit. C autem Iulius Aruſpex ceſſaturum edixit* ἐὰν προθύσῃ τὴν θυγατέρα, *ſi filiam ſuam Dux immolaſſet. Coactus igitur hic filiam Metellam produxit mactatum. Veſta ejus miſerta buculam ejus in locum ſubmiſit.* Sunt verba Plutarchi in linguam Latinam brevitatis gratia verſa in Parallelis p. 309. invenies eandem Hiſtoriam apud Pytoclem libro. III. Rerum Italicarum. Hoc horrendo

ſa-

ſam impietati alicujus eorum adſcribebant, qui ſimul in navi vehebatur. *Omnes* igitur *ſortes ducebant*, *ut*, *cui ſors* tanquam noxio *obtigiſſet*, veluti piacularis *victima ex navi in mare devolveretur*, quo ſæviens mare detumeſceret, ventique ſtrepentes pigreſcerent. Nobile hujus rei exemplum in Jona videmus, de quo præter Biblia Sacra Sulpitius Severus Hiſtor. Sacrar. lib. 1. cap. 72. *Sed ubi in altum proceſſum nautæ ſævitia maris compulſi, quiſnam eſſet mali cauſa, ſorte exploravere. Cum ſuper Ionam ſors decidiſſet, tanquam piaculum tempeſtatis in profundum projectus eſt.* De eodem etiam canit Prudentius Cathem. pag. 75.

Itur per altum, fit procelloſum mare,
Tunc cauſa tanti quæritur periculi,
Sors in fugacem miſſa vatem decidit.
Iuſſus perire ſolus e cunctis reus,
Cujus voluta crimen urna expreſſerat,
Præceps rotatur & profundo mergitur.

Auguſtinus epiſt. XLIX. quæſt. 6. Gregorius Magnus lib. VI. Moral. in Job. cap. 12. R. Eliezer in Pirke. R. Simeon. R. Tarphon. R. Meir aliique hujus Jo-

næ fortunæ meminerunt. Eundem ritum obſervare tibi licet in Diagora, & apud Euſtathium de Iſmen. & Iſmeniæ Amor. l. VII. pleniſſime ita. *Cur ſecundum nauticas leges ſolita ſupplicum libamina non fundimus? de ſorte lex eſt, cur victimam non ſortimur? Hæc illo lacrumis obortis dicente, nos omnes malum malo quod dicitur ſanantes, ſortem occæpimus. Cecidit illa ſuper Iſmenem, ſtatimque inſolens ignis, novus ſacerdos, ara tumultuaria ex tempore omnia parata ſunt. Mare ignis fuit, fluctus ara, ſacerdos gubernator, qui nauticam legem tuebatur; victima pectus erat, aut Iſmene potius, quæ ab illo avelli non poterat. Nos pariter hac victima numinis pacem exoraturi, illius naufragio nobis omnibus a periculo tempeſtatis ſecuris conſulemus.* Mox ſequitur. *Neptunus virginem petit*: hæc, ſorte deſignata animalis hoſtia, & vitæ noſtræ redemptio *eſt. itaque hujus ab manibus brachiisque per vim avulſa fluctibus marique tradatur. Nec mora, cum virgo veſtem exuta & nuda gubernatori ſiſtitur. Ille pontum oculis emenſus, popa ſacerdosque inſolens. Hanc tibi, inquit, Domine Neptune, meliorem animam pro morte noſtra perſolvimus (tu modo anima ægra* ne

ne curre ad labias mihi

rimata itineri tranſitus)

dixit; *nec diu cunctatus*, puellam in mare præcipitem dedit. Hactenus Euſtathius; cujus Græcum textum, quia nimis prolixus eſt, hic exhibere ſuperſedeo. Ritus ille poſt diſcuſſas Chriſtianiſmi jubare idololatriæ tenebras in deſuetudinem tamen non abiit, ſed in maris & navigationis infortuniis diu obſervatus fuit, teſte Gulielmo Neubrigenſi Rerum Anglicar. lib. I. cap. XI. p. 365. *Alter vero Rainerus nomine præcipuus eccleſiarum effractor atque incenſor, cum uxore ſua transfretans iniquitatum ſuarum pondere in medio mari navim, qua vehebatur, fecit immobilem. Quod cum maximo nautis, & aliis, qui ſimul vehebantur, eſſet ſtupori, antiquo exemplo jacta eſt ſors, & cecidit ſors ſuper Raínerum.* Et *ne forte hoc caſu accidiſſe videretur: iterum & tertio ſorte jacta & fideli inventa, judicium* Dei *declaratum eſt. Itaque ne univerſi cum ipſo, & propter ipſum perirent, expoſitus eſt in ſcapha cum uxore & pecunia male adquiſita.* Navis *ilico expedita eſt, & curſu ſolito ferebatur. Scapha vero pondere peccatoris*

ſub-

ſubſedit, fluctibusque abſorpta eſt. Hæc cauſa fuit, quod qui numinis reverentiores erant, haud temere cum notæ impietatis hominibus navigare vellent. Horatius illud docet.

Vetabo qui Cereris ſacrum
Vulgarit arcanæ, ſub iiſdem
Sit trabibus fragilemque mecum
Solvat phaſelum. Sæpe dieſpiter
Neglectus, inceſto addidit integrum.

Nautæ etiam ipſi, quando flagrante bello in mari capiebantur, *Diis marinis ſacrificabantur*, quod eos ναυτίλων ἁλιπλόων *ſanguine gaudere* putabant veteres. Ita Clemens Alexandrinus προτρεπτ. τοῖς κατὰ θάλατταν ἐπταικότας *ſacrificari ſolitos* τῇ Ἀρτέμιδι teſtatur. Et videatur de Cypri incolis, Prodromus Amor. lib. I. ex verſione Gilberti Gaulmini. *Hos vero quatuor in terram connivos, qui ſe nautas produnt, letho offeres, eorumque ſanguine Diis litabis, etenim Deorum ope liberatos reducesque ſacra illis de more facere gratiamque ſic habere æquum eſt. Maris Dii nautarum cæde placantur:*

CAP.

Cap. XVI.

Cappæ Martini, & ſudarii Veronicæ, vexillique S. Dionyſii uſus apud Chriſtianos ſuperſtitioſus in bellis. Victimæ humanæ devotæ & immolatæ cum in bellum proficiſcerentur, & contra hoſtes bellare vellent. Euripides illuſtratur, & Dion, & Livius, Halicarnaſſeus & Plutarchus. Victimæ immolatæ in ipſa expeditione. Ammianus Marcellinus illuſtratur. Quinam populi criniti.

Q*Uartum* jam *finem* horrendarum harum *victimarum* aſſignabimus. A Chriſtianis Francorum Regibus olim *cappa Divi Martini*, & ab Imperatoribus Romanis *ſudarium Veronicæ*, cui Chriſtus mortem ſubiturus vultum ſuum impreſſiſſet; ſuperſtitioſe in bellis ſecum ducebatur, per Ordines ad pugnam in procinctu ſtantes ventilabatur, in muris urbis obſeſſæ circumferebatur, & in prodigioſo æſtu & ſiccitate per plateas geſtabatur, ut ita pluvias a Deo exorarent, famem præverterent, oppidi circumcincti obſidionem ſolverent, & victoriam ab hoſtibus reportarent, atque

adeo hoc ſicut Palladium adverſus omnes adverſariorum inſultus & inſidias ipſis eſſet, ſicut videre potes apud Walafridum Strabonem, Abbatem Augienſem cap. ult. de exordiis & incrementis rerum Eccleſiaſt. Mathæum Pariſienſem in ſua hiſtoria, initio imperii Henrici Anglorum Regis. Mathæum Weſtmonaſterienſem in floribus anni Domini M. C C. XVI. Cedrenum in Imperio Michaelis Paphlagonis. Zonaram in Romano Argyropulo; Johannem Curopalaten in ſua Hiſtor. Nicetam Choniaten lib. de Imperatore Andronico. Theophylactum lib. II. cap. 3. Photium in Bibliotheca; Miſcellan. Hiſtor. lib. XVII. Patriarcham Jacobum Alexandrinum, Chriſtophorum Antiochenum, & Baſilium Hieroſolymitanum Patriarcham. Conſtantinum Porphyrogeneten: Evagrium lib. IV. cap. 26. Theophanem in M. S. Hiſtor. ex Georgio Piſida: Malaxum Peloponeſium in ſua Turcogræcia, Druſium de Dionyſio Patriarcha. Miſcellan. Hiſtor. lib. XVIII. Michaelem Glycam. Triodium Græcorum. Octav. Conſtantinum

ſinum in idea operis de Sanctis Siciliæ. Eidem uſui & *expeditionibus* a Gallorum Regibus erat deſtinatum *vexillum Sancti Dionyſii* gallice *Oriflambe* dictum: vide Geſta Ludovici Francorum Regis fol. 138. & Rigordum de geſtis Philippi Auguſti fol. 186. ex editione Pithæi. A Græcis autem Imperatoribus *ſigna, in quibus Sancti erant depicti.* Codinus cap. 6. Cura Palat. adde Wilhelmum Malmeſ bucienſem lib. 1. cap. 1. de geſtis Regum Angliæ, ubi commemorat idem de Arthuro Brittone in obſidione Badonici montis. Eadem ſuperſtitione imbuti, & ad eundem etiam modum Ethnici *ſacrificia humana Deis* ſuis *obtulerunt*, non ſolum ut famem, peſtemque propellerent, mortemque prævenirent, ſed etiam *ut bellum inceptum ipſis ex voto ſuccederet*, hoſtes profligarentur, & ſi ab adverſariis in urbe circumſeſſi eſſent, ab obſidione liberarentur, & ſeditiones propellerent, ſicut docet Plutarchus de oracul. defect. p. 417. de quibus jam acturi ſumus. Cum Rex Britanniæ Vortigirnus ab hoſtibus undique preme-

retur, ex *Magorum* conſilio *ad montem E...r ſibi turrim fortiſſimam* ædificari curavit, *tutamen, cum ceteras amiſiſſet muniтiones, futurum.* Sed cum quicquid exſtrueretur, *tellus abſorberet*, Magi hujus mali auxilium demonſtrarunt, ſi *ſanguine juvenis ſine patre* nati *cæmentum & lapides adſpergerentur*: Ad quod ſacrificium Merlinus quæſitus eſt, cujus pater ignorabatur; ſicut ſcribit Galfredus Monumetenſis Hiſtor. Reg. Britt. lib. IV. cap. 17. p. 46. ex quo ſine dubio deſcripſit Strozzius Cigogna de Magia lib. III. cap. 3. p. 300. Quem in latinam linguam tranſfudit Caſparus Ens. Eadem horrenda ſuperſtitione contaminati etiamnum ſunt hodie *Iapanniæ incolæ*: Nam *quando turris, arx*, aut aliud ingentis molis *ædificium exſtruitur, quidam miniſtri ad hoc ultro ſe offerentes fundamentis ſubſternuntur, & fundamenti lapidibus conteruntur & eliduntur, atque dæmonibus ita immolantur*, ut hac ſanguinis eorum libatione omne infortunium ab ædibus illis averruncaretur, & Diabolus propitiatus nunquam ædium illarum habitatoribus ullum malum infun-

ſunderet; veluti teſtatur Arnold. Montanus in Legat. Holland. ad Imp. Japann. p. 289. Sic Gentilibus etiam expeditionem ſuſcepturis, & *in bellum profecturis* admodum olim *familiare fuit*, humanum ſanguinem, *hominesque bello capiendos Deis ſuis devovere*, ſi ſecundo Marte conflixiſſent. De *Radagaſo* ita Paulus Diaconus lib. III. *Hic ſupra hanc incredibilem multitudinem indomitamque virtutem, barbarus erat, & Scytha, qui omnem humani generis ſanguinem Diis ſuis propinare devoverat.* & Iſidorus Cron. Got. *Quorum unus Radagaiſus Scytha atque paganus, cum ducentis fere millibus Italiam belli feritate aggreditur, promittens ſanguinem Chriſtianorum Diis ſuis litare, ſi vinceret.* Idem nefandum ſcelus *Gallis* ſuis adſcribere videtur Aimoinus de geſtis Francorum lib. I. cap. 7. *Huic* (Marti) *cum prælio dimicare conſtituerunt, ea quæ bello ceperint, plerunque devovent: quæ ſuperaverint animalia capta immolant: reliquaſque res in unum locum conferunt. Multis in civitatibus harum rerum exſtructos tumulos locis conſecratis conſpicari licet.* Hoc autem habet ex Cæſare de bello

Gallico lib. VI. p. 133. De *Iuliano Apoſtata* teſtatur Jornandes de Regn. ſucceſſ. *Parthis* (Julianus apoſtata) *ingenti apparatu intulit bellum. Ubi proficiſcens Chriſtianorum poſt victoriam ſanguinem Diis ſuis votavit.* Eodem voto ſe obſtrinxerunt *Myſi*, teſte Floro lib. IV. cap. 12. *Myſi quam feri, quam truces fuerint, quam ipſorum etiam barbari barbarorum, horribile dictu eſt. Unus Ducum ante aciem poſtulato ſigno: Qui vos, inquit, eſtis? Reſponſum invicem: Romani Gentium Domini. & illi. Ita, inquiunt, ſi nos viceritis. Accepit omen Marcus Craſſus. Illi ſtatim ante aciem immolato equo concepere votum, ut cæſorum extis Ducum & litarent & veſcerentur.* Et *Xerxes* cum jam innumerabili ſuo exercitu Græciam totam inundare intenderet, *Pythii filio natu maximo cæſo exercitum luſtravit.* Herodotus lib. VII. *Hæc cum reſpondiſſet, ſubito imperavit illis, quibus delegatum erat, ut maximum natu filiorum Pythii inventum diſcinderent medium: ejuſque diſſciſſi dimidium ad dexteram viæ, & dimidium ad ſiniſtram diſponerent, ut illac tranſiret exercitus.* Sic etiam *virginis immolatione*, ut Achilles Tatius lib. III. ſcribit,

Æ-

Ægyptii copias luſtrarunt. Ἀπὸ δὲ τοῦ λῃστάρχου παρῆν, καὶ εἴτις ἔφη, παρθένος ἐστὶν ἐν τοῖς εἰλημμένοις, ταύτην ἀπάγειν πρὸς τὸν θεὸν, ἱερεῖον γινομένην, καὶ καθάρσιον τοῦ στρατοῦ. *Erat is a Latronum Principe miſſus, & ſi qua inter captivos, inquit, virgo adeſt, eam abducere me oportet, Dei victimam ad exercitum expiandum futuram.* Imo *univerſi Græci*, cum bellum animo volverent, non captivorum ſanguinem vovere, ſed, *priuſquam hoſtes aggrederentur, humanas victimas immolare* conſueverunt. Teſtatur Philarchus in ſua Hiſtoria ex Porphyrio lib. II. Κοινῶς πάντας τοὺς Ἕλληνας πρὶν ἐπὶ πολεμίους ἐξιέναι ἄνθρωπον τονεῖν. *Omnes Græcos æqualiter ſolitos victimas humanas mandare ſacrificiis, antequam inimicos in bello aggrederentur.* Cum *Carthaginienſes* ab Agathocle Siculorum Rege adverſis præliis eſſent attriti & *victi*, ut Deorum favorem recuperarent, *victoriamque* in poſterum *obtinerent, ducentos Nobilium filios immolarunt.* De His Lactantius lib. 1. de falſa religione pag. 57. Peſcenius Feſtus in libris hiſtoriam per Satyram refert, *Carthaginienſes Saturno humanas hoſtias ſolitos*

immolare:& cum victi eſſent ab Agathocle Rege Siculorum; iratum ſibi Deum putaviſſe: itaque ut diligentius piaculum ſolverent, ducentos nobilium filios immolaſſe. Idem ſcelus *Meſſenii a Lacedæmoniis victi* & eodem ſine fecerunt. Nam *poſt eam pugnam Meſſeniorum res multis cæptæ calamitatibus affligi*: primum quidem, quod immodica fuerat in urbium præſidia erogata pecunia, jam unde exercitum alerent, non habebant: deinde & ſervitia ad Lacedæmonios perfugere: poſtremo peſtilens morborum vis, & ſi in univerſo omnino non eſt graſſata, magnam tamen rebus cunctis perturbationem attulit. De ſumma rerum conſulentibus placuit, oppida omnia, quæ longius a mari abeſſent, deſerere, in Ithomen vero montem ſecedere. Erat in eo oppidum non ita magnum, cujus factam eſſe mentionem ab Homero in Græcorum copiis recenſendis credunt, cum Ithomen ſalebroſum dicit. Facta huc ſeceſſione, vetus pomærium, quatenus ſat eſſet toti, quæ illuc convenerat, multitudini, ampliarunt. Erat loci natura caſtellum egregie munitum.

tum. Ibi cum conſediſſent, *Delphos mittere ſtatuerunt, qui de belli exitu oraculum conſuleret.* Miſſus itaque eſt Tiſis Alcidis filius, vir cum cæteris laudibus præſtans, tum vero divinandi peritia ſolers. Hunc Delphis redeuntem ex inſidiis Lacedæmoniorum aliquot de præſidio ab Amphea adoriuntur: ſed enim acriter ſe defendentem & repugnantem capere non potuerunt: hominem certe ſauciandi finem non prius fecerunt, quam vox audita, a quo miſſa incertum; Oraculi nuntium dimitte. Ac Tiſis quidem ad ſuos reverſus, Regi reſponſum exponit, neque ita multo poſt ex illis vulneribus diem obiit ſuum. Convocatis in concionem Meſſeniis oraculum Euphaes recitat, quod fuit hujuſmodi.

Neſcia viri puella geniis inferis
Epytidum ab alto ſorte ducta ſanguine
Dat colla nocturnis ſecanda cædibus.
Vos hac ad undas Hallyi facite ſacra,
Libenter ipſam virginem dantes neci.

Oraculi voce audita; *virgines omnes ex Æpytidarum familia ſorti commiſſæ. Cumque Lyciſci filia ducta fuiſſet, eam Epebolus vates*

 ſa-

ſacrari vetuit, quod diceret, non eſſe e Lyciſco genitam, verum uxorem Lyciſci eam ſibi, cùm ſterilis eſſet, ſuppoſuiſſe. Interea dum Vates hæc ad populum agit, Lyciſcus clam abducta puella Spartam profugit. Quæ res ubi vulgata eſt, cum hominum mentes vehementer commoviſſet; *Ariſtodemus, & ipſe ex eadem Æpytidarum gente*, vir & cæteris vitæ ornamentis, & bellica virtute Lyciſco clarior, *ultro filiam immolandam obtulit*. Verum Meſſenius civis forte Ariſtodemi filiam amabat, ac propediem erat uxorem ducturus: is itaque ex ſponſu agere puellam vindicans, acriter negare, quæ ſibi deſponſa eſſet in Patris amplius poteſtate eſſe. Qua ratione cum parum proficeret, *impudenti mendacio vitiatam a ſe puellam & gravidam jam eſſe affirmat. Qua pertinacia eo furoris Ariſtodemum impulit, ut filiam ſtatim occiderit, & cjus utero exciſo plane omnibus oſtenderit, non fuiſſe prægnantem*. Ibi *aliam juſſit Epebolus Vates filiam devovere, quod interpretaretur virginis cæde, quam iratus pater commiſiſſet, litatum ex oraculo non eſſe*. Hæc populum docente

Vate, nihil propius fuit, quam ut impetu facto, ab univerſa concione puellæ procus ille interficeretur, quippe qui & Ariſtodemum parricidii obligaſſet, & *ſalutis ſuæ ſpem in dubium vocaſſet.* Erat ille Euphai ut qui maxime amicus: perſuadet itaque Euphaes *religione populum nulla amplius teneri, nec intereſſe a quo ſit virgo cæſa. Ei vehementer Aepytidæ omnes aſſenſi ſunt*, quod nihil eorum malebant unuſquiſque quam liberare ſe devovendæ filiæ metu: quare facile tumultum omnem Regis oratio ſedavit: Ad verbum hiſtoriam exhibui ex Pauſania Meſſen. ſive lib. IV. pag. 275, 276, & 277. *Erechtheus* quoque contra Eumolpum educturus exercitum, ex oraculo *filiam* natu minimam in victimam *cædere* neceſſe habuit, ſi victoria potiri vellet. Apollodorus lib. III. Bibliothecæ. Ἐρεχθεῖ δὲ ὑπὲρ Ἀθηναίων νίκης χρωμένῳ, ἔχρησεν ὁ Θεὸς κατορθώσειν τὸν πόλεμον, ἐὰν μίαν τῶν θυγατέρων σφάξῃ. Καὶ σφάξαντος αὐτοῦ τὴν νεωτάτην, καὶ αἱ λοιπαὶ ἑαυτὰς κατέσφαξαν. *At Erechtheo de Athenienſium victoria ſciſcitanti, Deus rem bellicam præclare geſturum cecinit, ſi filiarum unam ju-*

jugulaſſet, qui cum natu minimam immolaſſet, & reliquæ tum omnes ſeſe jugulaverunt. Eandem hiſtoriam iiſdem fere verbis habet Plutarchus in Parallel. pag. 310. Cum Euryſtheus Mycænarum Rex Demophoonti Athenarum Regi bellum inferret, *Demophoonti oraculum perſuaſit, ut nobilem puellam Cereri immolaret*, ut ita hoſtes profligaret. Euripides in Heraclid. ſic intelligatur

ἐν δὲ πάντων γνῶμαι τ' αὐτὸν ἐμπρέπει
σφάξαι κελεύουσίν με παρθένον Κόρῃ
Δήμητρί γ', ἥ τις ἐστὶ πατρὸς εὐγενοῦς.

Una vero in re omnium (oraculorum) *eadem ſententia manifeſte apparet, nam*
Mactare jubent me virginem puellam
Cereri, quæ ſit ex patre nobili nata.

Euripides in Heraclid. rurſus.

ἔσφαζον, οὐκ ἔμελλον. ἀλλ' ἀφίεσαν
δαιμῶν βροτείων εὐθὺς οὔριον φόνον.

(Vates virginem Macariam) *immolabant,*
non cunctabantur ſed emittebant
Ex faucibus humanis ſtatim ſecundam necem
(ſalutiferum fauſtumque ſanguinem.)

Dixit *ſecundam necem* ſive *fauſtum ſanguinem*, quia eo victoriam Patriæque ſalutem.

tem redimerent. Idem Euripides hinc rurſus intelligatur.

μέμνηϑε, τὴν σωτειραν ὡς ϑάψαι χρεών.

Recordemini, quomodo me (Macariam) veſtram ſervatricem ſepelire deceat.

Cum quædam *Cretenſium* urbes contra Regem ſuum rebellarent, *Cydon Rex*, ut eas in ordinem redigeret, ex oraculo *virginem mactare per ſortes* debuit, quæ ejus filiæ obtigerunt. Videatur Parthenius Nicaenſis cap. 35. de Amatoriis Affectibus totam hanc hiſtoriam ex Aſclepiade Myrleano Bithynicorum lib. 1. prolixe narrans, cujus verba Græca Janus Cornarius ita eſt interpretatus. *In Creta Lycaſtus Cydonis filiam deperibat Eulimenen jam tunc Aptero Cretenſium Principi a parente deſponſatam. Cum hac igitur clam rem habebat Lycaſtus. Quum autem quædam ex Cretenſibus urbibus adverſum Cydonem inſurgerent, ac eum vehementer urgerent, mittit ad Numen Legatos, qui percunctentur, quid faciendum eſſet, ut hoſtibus ſuperior evaderet. Et reſponſum accepit* τοῖς ἐγχωρίοις ἥρωσι σφαγιάσαι παρθένον. Immolandam eſſe virginem Heroibus Patriis. *Accepto ergo*

 ora-

oraculo ſortiebatur Cydon de virginibus omnibus, & fortuna ſic ferente obtingit filia. Lycaſtus autem illi timens, indicat ejus corruptionem, & quod multo jam tempore cum ea conſueverit. Plurimus vero populi cœtus eo amplius juſtum cenſebat eam mori. Poſtquam ergo mactata eſt ἐπειδὴ δὲ ἐσφαγιάσθη, *jubet Cydon ſacrificum diſcindere eam circa umbilicum, atque ita inventa eſt prægnans.* Idem piaculum *a Samnitis* eſt commiſſum, cum Romanos bello aggredi proponerent. De illis ita Jornandes de regn. ſucceſſ. pag. 49. *Si rabiem ac furorem* (gentis Samnitarum requiris) *ſacris legibus, humanisque hoſtiis in exitium urbis* (Romæ) *agitatam.* Eandem ob cauſam, nempe ut bella ipſi ex voto ſuccederent, & fluerent, vel ut militum ſeditionem in poſterum præcaveret, vel alias ob rationes forſitan, *duo viri a Cæſare ſub ſacrificii præſcriptione jugulati ſunt*, de quo, ſi vis, conſule Dionem Hiſtoriar. lib. XLIII. in Cæſare. *Hæc cum alii neceſſario ſilentio tranſmitterent, tumultus a militibus coortus eſt, quos non tam inutiles ſumptus movebant, quam quod ea pecunia non in ipſos eſſet collata, neque prius*

fi-

finem turbarum fecerunt, quam Cæſar unum ex iis ſubito ſuperveniens, ſua ipſe manu correptum, ad ſupplicium tradidit. Sed præter hunc, alii quoque duo viri ſub ſacrificii præſcriptione jugulati ſunt, neque mihi conſtat, qua id de cauſa factum fuit, certe cum neque Sibylla hoc præcepiſſet, nec aliud in hanc ſententiam oraculum extaret, tamen in Campo Martio a Pontificibus & Salio immolati ſunt. Hæc ſententia, quod propterea hi viri ut victimæ immolati ſunt, ut Julius Cæſar proſpere adverſus hoſtes rem gereret, eo etiam probari poteſt, quod Romano Conſuli, Dictatorique, & Prætori, cum legiones hoſtium devoverent, ad hoc e legione Romana civem devovere eſſet licitum. Conſulatur Livius lib. VIII. pag. 243. *Illud adiiciendum videtur, licere Conſuli, Dictatorique & Prætori, cum legiones hoſtium devoveant: non utique ſe, ſed quem velit ex legione Romana ſcripta civem devovere.* Vox hæc *devovere* mihi perſuadet, ut credam, quod devotus ille ex legione Romana civis immolatus fuerit, ut ita hoſtem devoverent & profligarent, & ipſi ſimul Romani victo-

victoriam hac cruenta devotione obtinerent. Quod ſi verum ſit, hæc duo Livii & Dionis loca collata ſe egregie illuſtrant. Dicere etiam poſſem, iſtos duos viros forte tumultuantium militum, qui ſeditione ſua Rempublicam & Imperatorem ſuum quaſi prodebant, hoſtiarum inſtar in Campo Martio a Salio & Pontificibus eſſe cæſos, juxta illam legem antiquam Romuli, de qua Dionyſius Halicarnaſſeus lib. II. Antiquitat. cap. x. p. 82. ita. *Quod ſi quis deprehenſus eſſet, aliquid horum facere, tenebatur lege de proditoribus, quam ſanxit Romulus, convictumque ejus criminis cuivis fas erat, ut Diti ſacrum interficere. Mos enim erat Romanis, quos vellent impune occidi, eorum corpora devovere Deo cuipiam, præcipue Diis inferis.* Quidquid de hac re ſit, miror vehementer, quod Dion dicat, ſibi non conſtare, qua de cauſa hoc factum ſit. Eadem reos & noxios devovendi conſuetudo apud Athenienſes obtinuit, qui ita Alcibiadem devoverunt, cum violatarum Dearum Cereris & Proſerpinæ eſſet accuſatus, de quo Plutarchus in vita Alcibia-

dis

dis pag. 202. qui ex ultimo Halicarnaſſei loco multam lucem accipit. ἔτι καταρᾶσθαι προσεψηφίσαντο πάντας ἱερεῖς καὶ ἱερείας. *Inſuper ſciverunt, ut omnes Sacerdotes caput ejus ſacrarent.* Sed ad viam. Sic C. *Marius* etiam *filiam ſuam immolare* non abhorruit, *ut victoriam obtineret.* De quo Dorotheus lib. IV. Rerum Italicarum. Μάριος πρὸς Κίμβρους πόλεμον ἔχων, καὶ ἡττώμενος, ὄναρ εἶδεν ὅτι νικήσει ἐὰν τὴν θυγατέρα προθύσῃ· ἦν δ' αὐτῷ Καλπουρνία· προκρίνας δὲ τῆς φύσεως τοὺς πολίτας, ἔδρασε καὶ ἐνίκησε. *Victus bello Cimbrico Marius, ſomnio monitus eſt victorem ſe fore, ſi filiam ſuam Calpurniam immolaret. Fecit hoc ille civium ſaluti naturæ vinculo poſthabito, ac vicit.* Addatur Cyrillus contra Julianum lib. VI. fol. 50. ex verſione Johannis Oecolampadii. *Marius ad eam pervenit animi ferociam, ut puellam, quam honeſte educaverat, & præ omnibus pueris gratiorem & dulciorem habebat, dæmoniorum immolaret aris.* Sic *Maxentio Tyranno* cum Conſtantino Magno bellum geſturo, & de ſumma rerum conflicturo maga omnia proſpera vaticinata eſt, *ſi cæſis infantibus adverſa Numina prius placaſſet.* De quo Pomponius

nius Lætus. *Poſtremo coacto exercitu intra mœnia urbis ſe continuit Maxentius, & cum nihil unquam geſſerit ſine reſponſis mulierculatum, conſulunt Magam de belli exitu: Illa omnia proſpera vaticinabatur, admonens ut cæſis infantibus prius adverſa numina placaret. Ad hoc diem & horam dedit, quando educturus eſſet exercitum & manus conſerturus: qui ſacris peractis rem pro magæ conſilio egit.* Eodem etiam modo *Magnentio Tyranno* maga perſuaſit, ut ſi Imperatorem Conſtantium cum exercitu ſuperare vellet, *virginem mactaret:* Idem de Magnentio Pomponius Lætus. *Ideo ambo ad pugnam ſe parant: Magnentium priuſquam congrederetur, maga conſulit virginem jugulare & cruorem vino miſcere, potandumque militibus præbere (mos eſt immanium barbarorum cum ſecretius agunt.) ipſa interea carmina peragebat.* Idem de Magnentio refert Johann. Zonaras Annal. tom. III. de prælio inter Conſtantium ac Magnentium commiſſo; *Magnentius enim præſtigiis uſus eſt. Nam quædam ſaga eum monuit,* παρθένον αὐτῷ σφαγιάσαι, *ut virginem immolaret, ejuſque ſanguinem vino mixtum militibus guſtandum præbe-*

beret, ipſa interim carmina quædam recitante & Dæmonum opem implorante. Apud *Septentrionales populos* ita abominationes haſce invaluiſſe accepimus, ut ipſi Reges propriorum filiorum ſanguine manus imbuerint & tepefecerint. *Haqvinus* enim *Norvegiæ Rex, ut proſpere cum Heraldo collatis ſignis confligeret* & victoriam obtineret, *filios ſuos* morti & *ſacrificio devovit.* Saxo lib. x. *Haqvinus perſpectis copiis cum intolerabile rebus ſuis onus imminere cognoſceret, excipiendi ejus materia non ſuppetente, tanquam humana opis diffidentia, Superos inuſitato piaculo propitiandos curavit. Duos ſiquidem præſtantiſſimæ indolis filios hoſtiarum more aris admotos, potiundæ victoriæ cauſa, nefaria litatione mactavit, patriſque nomine quam patria carere voluit.* Hoc de *Heraldo Gunildæ filio* etiam refert Krantzius Hiſtor. Norv. lib. III. cap. 3. *Imperator* quoque *Tartarorum humanis hoſtiis* & ſanguine *Deos in bello ſibi propitios* & pronos *reddere* conabatur, ſi fides Fernando Mendez. cap. 33. Itinerar. Ita *incolæ Martabanæ*, cum bellum adverſus hoſtem ſuſceptum non ex voto ſuccederet, Præliorum Deo eo-

eorum lingua Quiay Nivandel nuncupato ſanguinem humanum offerrent, ut ſibi eum ita conciliarent, & proſpere pugnarent, ſicuti *Chinenſes* etiam ſanguinem humanum fragrantibus herbis commixtum & temperatum Deis ſuis libare Idem auctor eſt, cap. 34. & 45. Sed fides Dappero non eſt detrahenda, cum in deſcriptione Africæ de *Angolæ Regina* commemoret, quod illa Anna Xingakan nominata in principio belli alicujus momenti quoſdam homines ex robuſtiſſimis & formoſiſſimis electos, & pretioſiſſimis veſtibus indutos *propria manu decollaverit*, & in ſacrificium *mactaverit*, *ut ita proſperum in bello eventum ſortiretur*. Et præterea quidam barbari populi *cum jam ad expeditionem ſe accingerent*, aut *in ipſa jam eſſent expeditione* & itinere, non tam ſuorum quam maxime *hoſtium* nefandis *immolationibus*, *iter & expeditionem ſibi fauſtam*, *Deoſque conatibus ſuis propitios reddere conabantur*. Sic *Cheruſci*, *Suevi*, *Sicambri viginti Centurionibus concrematis hoc velut ſacramento ſumſerant bellum*. Florus lib. IV. Et *Franci*, cum jam Chriſtiana

re-

religio apud illos vigeret, in bellum egreſſi & in expeditione verſantes, *pueros & puellas Gothas ut primitias belli in amnem conjecerunt*, ſine dubio ut *victimas Diis ſuis oblatas*; ſicuti teſtatur Procopius in Hiſtoria Gothorum libro. II. Et Hector Boethius idem fere de antiquis *Scotis* affirmat in Hiſtor. *Ad bellum exeuntes, occiſo quod primum obvium occurriſſet, animali, ſanguine ejus gladii cuſpidem tangentes deguſtabant, ea ſibi proſpera fore auſpicia pollicentes.* De *Hunnis* conſulatur Jornandes de reb. Getic. cap. 23. pag. 69. *Hunni ad Scythiam properant, & quantoſcunque prius in ingreſſu Scytharum habuere, litavere Victoria.* Hinc lucem haud parvam accipit Ammianus Marcellinus lib. XXXI. pag. 844. *Ex ea* crinitus *quidam nudus omnia præter pubem, ſubraucum & lugubre ſtrepens, educto pugione agmini ſe medio Gothorum inſeruit, & interfecti hoſtis jugulo labra admovit, effuſumque cruorem exſuxit.* Per *crinitum* intelligi poteſt *Gallus*, *Francus*, *Saxo*, *Longobardus*, *Gelonus*, *Britannus*, *Hybernus*, *Germanus*, *Batavus*, *Sclavus*, *Cimber*, *Avares*, *Alamannus*, & Go-

Gothus; nam *hi* omnes *populi capillos alere & ſubmittere* conſueverunt, veluti de *Gallis* teſtatur Claudianus Stilicon. paneg. II. *Gallia crine ferox.* Dion. lib. XLVII. Tacitus Annal. lib. XI. de *Francis* vita Hilarionis Eremitæ. Decretum Childeberti Regis, poſt. leg. Salicam. §. 2. Clemens Alexandrinus Pædagog lib. III. de *Longobardis* Warnefridus lib. IV. cap. 22. Hiſtor. Longobard. *Gelonis* Orpheus in Argonaut. ἡ δὲ γελωνὸν ἔθνος, βαθυχαίτων τ' ἄπλετα φῦλα. de *Britannis* Cæſar lib. V. de bello Gallico. Venerabilis Beda Eccleſiaſt. Hiſtor. gent. Anglor. lib. II. cap. I. p. 176. Eumenius Paneg. ad Conſtantinum. Theodoſius Clainus lib. III. de *Hybernis* Strabo lib. IV. Geograph. Santorellus Medicus Neapolitanus lib. VI. de ſanitatis natura cap. 5. *Germanis* Ammianus Marcellinus lib. XVI. Clemens Alexandrinus Pædag. III. *Batavis* Martialis lib. XIII. Epigramm. de *Sclavis* Procopius Hiſtoriæ Gothicæ lib. III. *Cimbris* Aventinus Annal. Bojorum. lib. I. *Avaribus* Corippus lib. III. de laud. Juſtiniani ſect. 7. de *Saxonibus* Witikind de

de geſtis Saxonum lib. I. pag. 5. & de *Gothis* ſpeciali nomine *Capillatis dicti.* Procopius lib. IV. Gothic. Jornandes cap. 45. Hiſtor. Theodoricus Rex apud Caſſiodorum lib. IV. epiſt. 49. Edictum Theodorici Regis §. 145. Priſcus eclog. Legation. pag. 15. Sidonius Apollinaris lib. III. epiſt. 3. qui etiam *Gothum crinitum* vocat, aliique quam plurimi ſuo tempore & loco indicandi id docent. Sed veluti mea fert opinio, *crinitus ille*, cujus meminit in citato ſupra loco Ammianus, erat natione *Scytha*, nam præterquam quod *Scythæ comam etiam promittere ſoliti ſunt*, ſicut docet Clemens Alexandrinus Pædagog. lib. III. meam opinionem vehementer confirmat *de Scythis* loquens P. Mela. lib. II. cap. 1. pag. 39. *Bella & cædes amant. Mos eſt bellantibus cruorem ejus, quem primum interemerint, ipſis e vulneribus ebibere.* Hoc autem propterea Scythas feciſſe verbis Boetii de Scotis inductus autumo, ut proſpera hæc in bello ipſis auſpicia eſſent; victoriamque ab hoſtibus obtinerent.

CAP. XVII.

Victimæ humanæ immolatæ ante prælium, quando cum hoſtibus confligerent; in ipſo prælio; in obſidione. Hyginus corrigitur. Poſt bellum & partam victoriam. De Iephtæ filia. Nonnus explicatur. Captivorum immolatio. Iornandes correctus. Strava, opinio Vulcanii & Lindenbrogii de hac voce. Explicatur P. Æmilius.

ET non ſolum ante bellum, ſed etiam *cum* jam *acies ad prælium accinctæ*, & jam jam concurſuræ *ſtarent*, in id incubuerunt gentiles, ut *humanis hoſtiis* cæſis hoſtes in fugam coniicerent & *victoria potirentur*. Nota enim eſt ex Dicæarcho & Plutarcho in Theſeo pag. 15. hiſtoria Marathi Arcadis Tyndaridas ad bellum ſecuti, & in eum, quem ſupra nominavimus, finem ἐπιδόντος ἑαυτὸν ἑκουσίως κατά τι λόγιον σφαγιάσασθαι πρὸ τῆς παρατάξεως, *ultro ſe ex quodam oraculo immolandum offerentis.* Imo hac occaſione Gallo-Græci non ab ipſis ſuis uxoribus & liberis abſtinuerunt. Sicut docet Juſtinus lib. xxvi. pag. 143. *Quibus cognitis Galli cum &*

& ipſi ſe prælio pararent, in auſpicia pugnæ hoſtias cædunt, quarum extis cum magna cædes interituſque omnium prædiceretur, non in timorem ſed in furorem verſi, ſperanteſque Deorum minas expiari cæde ſuorum poſſe, conjuges & liberos ſuos trucidant. Imo *Decii* Romani Conſules, cum jam prælio commiſſo Romanorum aciem inclinatam, hoſtibuſque victoriam affulgere viderent, *Diis Manibus pro exercitus ſalute ſe devoventes* in confertiſſimos hoſtium cuneos obtruncanda corpora immiſerunt. Florus lib. I. cap. 17. Cicero lib. I. de Divinat. pag. 361. lib. II. de finib. p. 61. Val. Maximus lib. V. cap. 6. Livius lib. X. pag. 381. & lib. VIII. pag. 294. Zonaras tom. II. Annal. p. 63. Seneca epiſt. 67. Plinius Natural. Hiſtor. lib. XXII. c. 5. Ariſtides Mileſius. Plutarchus in Parall: pag. 310. S. Aurelius Victor de Cæſar. in Decio Patre & Filio cap. 26, 27. Lactantius lib. III. cap. 5. Auguſtinus de civitat. Dei lib. V. cap. 18. pag. 316. Servius in Georg. pag. 104. Juvenalis Satyra. IX. pag. 75.

Plebeiæ Deciorum animæ, plebeja fuerunt

Nomina; pro totis legionibus hi tamen, & pro
Omnibus auxiliis, atque omni plebe Latina
Sufficiunt Diis inferni, terræque parenti.

Lucanus lib. VI. pag. 171. de iiſdem ita.

Vidi Decios natumque patremque
Luſtrales bellis animas.

Et quid dicemus de *Amphiarao & Valerio Conato*, qui *vivi terra hauſti ſunt, ut populares* ſui *contra hoſtes victoria potirentur.* Hi etiam ut *victimæ humanæ Diis infernalibus oblatæ* conſiderari poſſunt. *De Amphiarao* Triſimachus lib. III. de Conditis urbibus & Plutarchus in Parallelis pag. 307. *Ducibus, qui cum Polynice erant convivantibus, aquila devolans haſtam Amphiarai raptam in ſublime advexit, inde demiſit, ea terra infixa in laurum eſt mutata.* τῇ δ' ὑστεραίᾳ πολεμούντων, κατ' ἐκεῖνο κατεπόθη ὁ Ἀμφιαράως τῷ ἅρματι. *Poſtridie bellum cum gereretur, eo loco Amphiaraus una cum curru terra hauſtus eſt, ubi Harma urbs nunc eſt a curru ſic dicta.* Sed Critolaus lib. III. Rerum Epiroticarum de *Valerio Conato* ita loquitur. *Romanis bellum adverſus Pyrrhum Epirotam gerentibus, oraculo victoria promiſſa eſt, ſi aram poſuiſſent eo*

loco

loco, ἔνθα ἂν ἴδη χάσματι κρυπτόμενον ἄνδρα ἐκ τῶν ἐπι-σήμων μετὰ ἅρματος, quo videret Virum Illuſtrem aliquem una cum curru hiatu terræ hauriri. *Triduo poſt Valerius Conatus homo Divinus per ſomnium juſſus veſtem Pontificiam ſumſit, & in aciem ſuos eduxit, ac magna hoſtium cæde edita* a terra abſorptus eſt, ὑπὸ γῆς κατεπόθη. *Æmilius aram ſtatuit, victoriaque potitus, CLX. turrigeros elephantos Romam miſit.* Cum etiam Dorienſes & Athenienſes de rerum ſumma inter ſe confligerent, & cum Oraculum de belli eventu a Dorienſibus conſultum reſpondiſſet, penes eos victoriam fore ſi Athenienſium Regem non occidiſſent, *Codrus Athenienſium Rex* oraculi reſponſo intellecto ſe hoſtibus interficiendum objecit. *Atque ita Athenienſes virtute Ducis pro ſalute patriæ Diis Manibus ſe devoventis & morti offerentis bello liberati & victoria potiti ſunt*, nam Dorienſes re infecta ſine prælio diſceſſerunt; ſicut commemorat Juſtinus lib. 11. pag. 28. & Pauſanias in Achaicis pag. 524. aliique. Codri igitur *interitu, ne Athenæ occiderent effectum eſt*, ſicut Valerius Maximus loquitur lib. v

cap. 6. §. 1. Extern. pag. 239. ſed Valerius Juſtino contrarians author eſt, quod *Codrus ipſe ad oraculum confugit*. Quinimo, *cum urbis alicujus mœnibus inclusi dura obſidione premerentur, humanas victimas* pagani *mactare conſueverunt*, ut ita obſidione ſoluta hoſtes a muris removerent. Hoc igitur piaculo ſe impiarunt Pellionis *incolæ*. Arrianus de expedit. Alexandri Magni. lib. 1. pag. 13. Ἀλέξανδρος μὲν δὴ τῇ πόλει προσῆγεν, οἱ δὲ πολέμιοι σφαγιασάμενοι παῖδας τρεῖς καὶ κόρας ἴσας τὸν ἀριθμόν, καὶ κριὲς μέλανας τρεῖς, ὥρμηντο μὲν ὡς δεξόμενοι ἐς χεῖρας τοὺς Μακεδόνας. *Quumque jam Alexander urbi immineret, hoſtes, mactatis tribus pueris, & totidem puellis, tribuſque nigris arietibus erumpunt tanquam cum Macedonibus manus conſerturi*. De *Tyriis obſeſſis* ab Alexandro Curtius lib. IV. pag. 43. *Sacrum quoque, quod quidem Diis minime cordi eſſe crediderim, multis ſeculis intermiſſum repetendi autores quidam erant, ut ingenuus puer Saturno immolaretur, niſi ſeniores obſtitiſſent, quorum conſilio cuncta agebantur, humanitatem dira ſuperſtitio viciſſet*. De *Carthaginienſibus* Tyriorum colonis Diodorus Siculus lib. XX.

Cum

Cum illi Carthaginienſes a Siciliæ Tyranno Agathocle poſt Magni Alexandri interitum, primi Ptolomæi temporibus obſeſſi eſſent. *Dicebant autem*, inquit, *Saturnum illis iratum fuiſſe, quoniam prius ipſi excellentiores ex filiis ſuis ſacrificabant. Poſtea vero clam emptos infantes atque educatos liberorum immolabant loco, quumque diligenti ſacta inquiſitione, multi ex ſuppoſitis invenirentur ſacrificari, facile animos induxerunt, ut crederent ad obſidionem urbis idcirco divinitus miſſos eſſe, quoniam priſcos Deorum honores non ſervärent: itaque Deos placare ſtudentes ducentos ex nobiliſſimis adoleſcentibus publice ſacrificarunt: trecenti vero alii, quoniam ſuſpectos ſe videbant, ſponte ſe tradiderunt.* Hanc immanem Carthaginienſium conſuetudinem Gelo Siciliæ Rector abrogaſſe legitur apud Plutarchum lib. de Sera Numinis vindicta pag. 552. *Et Gelo adverſus Carthaginienſes geſto optime bello, cum eos magno viciſset prælio pacem petentibu, non ante conceſſit, quam id quoque inſertum ejus fuit conditionibus, finem facturos Carthaginienſes Saturno ſuos immolandi liberos.* Sic etiam cum *Thebani arcta obſidiene* ab

hoſtibus undique *circumvallati* ad extremam fere inopiam redigerentur, *Menycus* (ſive *Menæceus* potius) ut patriam liberaret; *inſtar victimæ ſe occidit.* Hyginus fabula LXVIII. rem totam hunc in modum narrat. *Cæteri cum Thebas oppugnarent, & Thebani Regibus ſuis diffiderent, Tireſias Eurii filius augur præmonuit, ſi ex Draconteа progenie aliquis interiiſſet, oppidum ea clade liberari. Menycus cum vidit ſe unum civium ſalutem poſſe redimere, muro ſe præcipitavit. Thebani victoria ſunt potiti.* Junior autem Philoſtratus in Iconibus lib. I. dicit ſimpliciter, quod mortuus ſit. λόγιον γὰρ τι ὁ Τειρεσίας λέγει, τεῖνον ἐς Μενοικέα τὸν Κρέοντος, ὡς ἀποθανὼν ἔνθα ἡ χειὰ τοῦ δράκοντος, ἐλευθέρα ἡ πόλις ἐκ τούτου εἴη. ὁ δὲ, ἀποθνήσκει λαθὼν τὸν πατέρα. *Oraculum enim Tireſias dicit; ad Creontis Menæceum pertinens, quod videlicet libertate fruetur civitas, ſi ad Draconis luſtrum morietur. Hic autem clam Patre moritur.* Apollodorus lib. III. Biblioth. auctor eſt, quod Marti in victimam devotus, ſe ante portas mactaverit. *Hic* (Vates Tireſias) *itaque Thebanis futura prædicens: eum victorem fore inquit, ſi Me-*

næceus Creontis filius Ἄρει σφάσιον ἀυτον ἐπιδῷ ſeſe Marti victimam devoviſſet. *Quod ubi Menæceus audivit, ſe ipſum ante portas mactavit.* Adiiciatur Pauſanias lib. IX. pag. 674. *Ad Neitin portam* (Thebis) *Menoecei Creontis filii monumentum eſt, qui ſe ipſum ultro occidit ex oraculo Delphici Apollinis, quo tempore Polynices cum Argivorum exercitu Thebas oppugnatum venit.* Addatur etiam Euripides Phœniſſ. in obſidione Thebarum.

σφάξαι Μενοικέα τόνδε δεῖ σ᾽ ὑπὲρ πάτρας
σὸν παῖδ᾽, ἐπειδὴ τὴν τύχην αὐτὸς καλεῖς.

Mactari a Te Menæcea hunc oportet pro Patria
Filium tuum (Creon) *quando quidem hanc fortunam ipſe accerſis.*

Euripides in Phæn. alio in loco dicit, quod ſe enſe per guttur tranſfixerit.

ἐπεὶ Κρέοντος παῖς ὁ γῆς ὑπερθανὼν
πύργων ἐπ᾽ ἄκρων στὰς μελάνδετον ξίφος
λαιμῶν διῆκε.

Poſtquam filius Creontis, qui mortuus eſt pro patria (Thebis)
Turribus in ſummis ſtans nigro manubrio munitum enſem
Per guttur tranſegit.

 Ejuſ-

Ejuſdem ſive fabulæ ſive hiſtoriæ meminerunt etiam Nonnus Dionyſ. lib. XXIII. Libanius Sophiſta Progymnaſm. p. 171. aliique, & cum illi ſupra citati Authores uno ore omnes hominem illum pro Patria immolatum vocent *Menæcea* pro *Menyco* in Hygini loco ſupra citato *Menæceus* corrigendum exiſtimo. *Bello* autem *ex voto* fluente & *finito*, hoſtibuſque profligatis, victis, & ad incitas redactis, *voto*, quod ante bellum inchoatum voverant, *ſeſe ſolventes*, *homines*, *& captivos in gratitudinis teſtimonium Cælitibus immolarunt Veteres*. Nobile hujus rei exemplum ex Sacris Bibliis nobis exhibet Sulpitius Severus lib. I. cap. 45. *Igitur Iepta Duce ad libertatem armis vindicandam frequentes conveniunt, miſſis prius ad Regem Amon legatis, ut finibus ſuis contentus bello abſtineret. At ille prælium non abnuens, aciem inſtruxit. Tum* Jepta, *priuſquam ſignum pugnæ daretur*, voviſſe dicitur, ſi proſpere pugnaſſet, eum, qui ſibi primus revertenti obvius fuiſſet, hoſtiam Deo dandum. *Ita victis hoſtibus, cum domum rediret, filia ei obviam fit, quæ patrem exceptura victorem*

cum

cum tympanis & choris læta proceſſerat. Tum Iepta conſternatus, dolore conſciſſis veſtibus indicat filiæ voti neceſſitatem. At illa non fœminea conſtantia mori non recuſans, duos tantum menſes vitæ ſpatium petit, ut æquales ſuas prius videret. Quibus actis, ultro ad patrem rediit votumque Deo reddidit. Hoc Ducis Jeptæ *votum*, quo ſe obſtrinxerat *votum temerarium* vocat Tertullianus in Carm. adverſ. Marc. lib. III. & Anaſtaſius Nicæn. quæſt. 36. *ἄνουν ſtolidum.* Theodoretus in Judic. quæſt. 20. *ſtultum.* Auguſtinus ſive Author quæſt. ex Veteri Teſtam; *incautum.* Ambroſius lib. III. Officior. cap. 12. *illegitimum.* Joſephus Antiquit. lib. V. cap. 9. *lacrymandum.* Origines Homil. 10. in epiſt. ad Roman. *injuſtum.* Chryſoſtomus Hom. 10. in epiſt. ad Romanos *Paricidale.* Tremellius & Junius, Lyranus, David Kimchi, & Levi Ben Gerſon exiſtimant, quod Jephte filiam tantum Deo conſecraverit, ut vitam ſolitariam in virginitate extra conjugium tranſigeret. Sed filiam hanc re vera a Patre juxta votum occiſam & immolatam eſſe docent Paraphraſtes

Chaldæus. Joſephus Antiquitat. lib. v. cap 9. Auguſtinus quæſt. 49. ſuper Judic. Autor quæſt. ex Vet Teſtament. quæſt. 43. apud Auguſtinum. Juſtinus ſeu Author quæſt. & reſp. ad Orthodox. quæſt. 99. Ambroſius Offic. lib. 1. cap. 50. & lib. III. cap. 12. de Virgil. lib. III. Apolog. pro Davide cap. 4. Hieronymus in conſolat. ad Julianum lib. 1. adverſus Jovianum & ad cap. 7. Jerem. Jovianus ex teſtimonio Hieronymi lib 1 contra eum. Origines Homil. 24 in Num. Tertullianus in Marcion. lib. III. Athanaſius in ſynopſi Divinæ Scripturæ. Athanaſius Nicen. quæſt. 46. Chryſoſtomus homil. 10. in epiſt. ad Romanos. Theodoretus in Judic. quæſt. 20. Divus Auguſtinus de civitate Dei lib. 1. cap. 21. de hoc ſacrificio ita. *Et merito quæritur, utrum pro juſſu Dei ſit habendum, quod Jephte filiam, quæ Patri occurrit, occidit, cum ſe immolaturum Deo id voviſſet, quod ei redeunti de prælio victori primitus occurriſſet; Nec Sampſon aliter excuſatur, quòd ſe ipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſſit, niſi quia Spiritus latenter hoc juſſerat, qui per illum mira-*

cula

cula faciebat. Conſulatur inſuper Tertullianus contra Marcionem lib. III.

Iephtha fide firma, qui duro vulnere votum
Auſus mercedem belli Deo dicere grandem,
Hæc quia quæ non vult Dominus, promiſerat amens,
Occurrit primo carum ſibi pectore pignus,
Nulli ſperata cecidit quod ſorte repente
Promiſſum ut ſtaret, ſolvit pia jura parentis
Peccati votum violenta mente coperuit
Immanis timor, orbatæ ſolatia vitæ
Pro ſcelere obtinuit famam, pro crimine laudem.

Epiphanius hæreſ. 71. refert, in Sicimis incolas ſacrificium in nomen puellæ facere conſueviſſe, quam filiam Jephte olim in ſacrificium oblatam exiſtimat fuiſſe. Intelligitur hinc Nonnus Dionyſiacorum lib. v. loquens de Cadmo ſanguinem Gigantum libante.

σπένδων λύθρον Ἀρῆι θαλύσια δηιοτῆτος.

Libans cruorem Marti ſacriſiciapugnæ.

Hunc enim cruorem poſt confectos & occiſos gigantes ex voto illum Marti libaviſſe veriſimile eſt. Ita etiam *ex voto* ante bellum concepto, *Cyrus* Perſarum

Monarcha *Crœſum* Lydorum Regem ab ipſo ſuperatum, ut *victoriæ primitias Deis in holocauſtum comburere intenderat*, ſicut ſcribit Herodotus lib. 1. pag. 34. Apud *Æthiopes* hunc dirum ritum etiam inoleviſſe Heliodorus teſtatur lib. IX. *Atque hi quidem, inquit, cum primi ſint capti, ad primitias belli ſerventur incolumes in eum finem, ut in ſacrificiis triumphalibus, ſicut recepta moribus & inſtitutis Æthiopum lex poſtulat*, θεοῖς τοῖς ἐγχωρίοις εἰς ἱερουργίαν. *Victimæ fiant Diis Patriis cuſtodiendi.* Conſuetudo illa poſt partam victoriam homines in gratitudinis ſignum Deis mactandi viguit etiam Athenis. Nam apud Fulgentium de vocibus antiq. Diophantus Lacedæmonius, qui de Sacris Deorum ſcripſit, ait, *apud Athenas Marti ſolere ſacrificari ſacrum, quod* ἑκατὸν πεφόνευκα *appellatur, ſi quis enim centum hoſtes interfeciſſet*, Marti de homine ſacrificabat *apud inſulam Lemnon, quod ſacrificatum eſt a duobus Cretenſibus, uno Locro, id eſt, Tumyne Cortynienſi, Proculo Locro, ſicut* Soſicrates ſcribit. *Sed poſteaquam hoc Athenienſibus diſplicuit, cœperunt offerre porcum caſtratum, quem nefren-*

frendum vocabant, id eſt, quaſi ſine renibus. & *apud Romanos* Varro ſcribit *Sicinium Dentatum centies & vicies pugnaſſe ſingulari certamine: cicatrices contra habuiſſe quadraginta quinque, poſt tergum nullam: coronas viginti ſex accepiſſe, armillas centum quadraginta, & iſtum primum ſacrum feciſſe Marti.* Ita Imperator *Theodoſius*, cum Maximum Tyrannum bello ſuperaſſet, *duobus aut tribus furioſi gladiatoris laniſtis in belli piaculum cæſis* celebratur *ut clemens* a Latino Pacato in Panegyri Theodoſio dicta, quibus verbis ritum hunc abominabilem captivos Deis immolandi tangere videtur. *Captivos* in bello captos *Æthiopes Soli* atque *Lunæ conſecratos cædere* non dubitarunt. Teſtatur illud Heliodorus l. x. Æthiopicor. *Sed ſcis quod maſculum quidem Soli, fœminam autem Lunæ & offerre & ſacrificare lex poſtulet. Cum autem hæc mihi prima ſit adducta captiva, & præſenti ſacrificio deſtinata, omnino excuſationis locum non haberet apud multitudinem dilatio.* Rurſus idem Heliodor. lib. x. *Cum igitur intellexiſſet Hydaſpes, quod* ἀνθρωποκτονίαν *humanam victimam flagitarent* (populus nempe ſublato clamore ſecundum

conſuetudinem) *quam ex iis tantum, qui in peregrinis bellis capti eſſent, offerre conſueverant.* Eodem modo *Calpurnius Craſſus ab hoſtibus captus Saturno immolandus foret* forte *in ſignum gratitudinis, quod viciſſent*, aut *ut diro illo ſacrificio de hoſtibus profligatis triumpharent.* Sic intelligatur, explicetur & illuſtretur Hegeſianax lib. III. Rerum Africarum. Καλπούρνιος κράσσος, ἀνὴρ τῶν ἐπισήμων Ῥηγούλῳ συστρατευόμενος, ἐπέμφθη Μεσσόλοις πορθήσων, φρούριόν τι δυσάλωτον· τοὔνομα Γαραίτιον. Αἰχμάλωτος δὲ ληφθεὶς, ἔμελλε θύεσθαι τῷ Κρόνῳ. Βυσαλτία δὲ τοῦ Βασιλέως θυγάτηρ ἐρασθεῖσα προέδωκε τὸν πατέρα, καὶ νικηφόρον ἐκεῖνον ἐποίησεν· ἀναστρέψαντος δὲ αὐτοῦ ἡ κόρη κατέσφαξεν ἑαυτήν. *Calpurnius Craßus vir illuſtris Reguli Legatus in Maſſylos mißus, ut Caratium caſtellum ſuperatu difficile oppugnaret, captus eſt. Cumque eſſet Saturno immolandus, Byſatia Regis filia adamans eum victorem prodito patre fecit, ac ſe ipſam ob ipſius diſceſſum jugulavit.* Sic etiam Franci, cum jam Chriſtum profiterentur, *captos* Gothorum *pueros & fœminas in amnes ut belli primitias præcipitarunt*, ſicut ſcribit Procopius lib. II. Gothicor. *Amicorum* etiam bello ſævien-

viente *interfectorum manibus, inferiis, ſupremiſque rogis captivorum* libato ſanguine & *immolatione gratificati fuerunt*; Ita *Bacchus amici Opheltis* bello defuncti *inferias Indorum immolatorum ſanguine conſperſit & nobilitavit*. Nonnus Dionyſ. lib. XXXVII. *Achilles in Patrocli ferro mortui rogum* δώδεκα Τρώων μεγαθύμων υἱέας ἐσθλοὺς *duodecim Trojanorum magnanimorum filios fortes* veluti *victimas injecit*; Homerus Iliad ψ. pag. 809. Hyginus fab. CCLXXIII. *& Memnonis caput in pyram amici Antilochi*; Philoſtratus Junior in Icon. Ita *Græci cum Achillis jam defuncti cadavere eodem in rogo in holocauſtum quadraginta captivos Trojanos combuſſerunt*; Cointhus Smyrnæus lib. III. *eidem Achilli Polyxenæ immolatione parentarunt*, & velificati ſunt; Seneca Tragæd. Troad. Act. II. pag. 339. Cointhus Smyrnæus lib. XIV. Ita *Æneas in honorem Pallantis marte obtruncati captivos*

Sulmone creatos
Quatuor hic juvenes, totidem, quos educat Ufens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,

Captivoque rogi perfundat ſanguine flammas.

ſicut canit Virgilius Æneid. lib. x. pag. 353. Eodem modo *Spartacus* famoſus ille bellator *familiaris* ſui *Crixi manes*, *cum bello occubuiſſet*, *captivorum cruore placavit*; Appianus lib. I. de bello Civili num. 424. p. 221. Et *Hunni ſuper tumulum Attilæ Regis ſtravam*, (quam vocant) *ingenti commeſſatione concelebrarunt*; Jornandes de Reb. Get. cap. 49. pag. 145. Bon. Vulcanius in notis ad Jornandem per *ſtravam*, captivorum ad Attilæ buſtum mactatorum cædem interpretatur, & pro *ſtravam* ponendum eſſe *ſtraſſam* exiſtimat, adeo ut hujus vocis origo derivaretur a vocabulo Germanico & Belgico *ſtraffen*. Sed Luctatius Placidius Statii Scholiaſtes ad Thebaid. lib. XII. pag. 304. affirmat, *ſtravam* ſive *ſtrabam* fuiſſe *pyram ex hoſtium exuviis ſtructam*. Ita autem loquitur. *Exuviis hoſtium exſtruebatur mortuis Regibus pyra*; *quem ritum ſepulturæ hodie quoque barbari ſervare dicuntur*, *quem ſtrabas dicunt lingua ſua*. Hæ ſunt Vulcanii & Luctatii de voce *Strava* opiniones. Quid jam eligemus

gemus dubium. Si non Lactantii ſive Luctatii utpote vetuſtioris Scriptoris authoritas me retineret, in Vulcanii ſententiam magis propenderem, nam illam & vox ipſa defendit, & conſuetudo ab Hunnorum popularibus & affinibus Scythis, populiſque Thraciæ Beſſis & Getis obſervata, qui popularibus & Principibus ſuis mortuis captivorum ad eorum buſtum vel rogum mactatorum nece & ſanguine parentarunt, ſicut in capite xxx. & xxxi. ex Hieronymo & Niceta Choniata probabimus. Ad hanc prædictam opinionem amplectendam mihi etiam calcaria ſubdidere illa Jornandis verba: *Stravam ingenti commeſſatione celebrarunt*: Nam Gentiles dum victimas humanas immolabant, & dira hæc ſacra peragebant, convivia agitare, genio indulgere, & *ingentes commeſſationes celebrare* ſolebant, veluti in capite quodam infra probabimus, & innuere videtur Author Sapientiæ cap. xiv. v. 23. *Nam aut ſacrificia cæde liberorum, aut occulta myſteria, aut furioſas ex alienis legibus commiſſationes*(lege *commeſſationes*)*agentes*. Verum enim

enim vero dicere etiam poſſumus, quod Hunni captivos jugulatos in pyram Regis ſui Attilæ ex exuviis hoſtium erectam conjecerint, & ita illos ejus immolaverint Manibus. Atque ita Lactantius & qui ei adſtipulari videtur Lindenbrogius cum Vulcanio conciliati eſſent. Quidquid autem hac de re ſit, certum eſt, *Scythas* etiam *bello confecto centeſimum quemque ex captivis Marti immolaſſe* teſte Herodoto. lib. III. pag. 258. Ita etiam *captivorum ſanguinem Marti obtulerunt Thulæ incolæ*; Procopius Gothicor. lib. II. *Et Monæ (cives) cruore captivo adolere aras, & hominum fibris conſulere Deos fas habebant*; Tacitus Annal. lib. XIV. p. 322. Horum *ſanguinem Scordiſci Gradivo*, (ut Ammianus Marcellinus docet lib. XXVII. p. 710.) *& Hunni victoriæ libavere*: Jornand. de reb. Get. pag 69. cap. 24. Idem de *Gothis* Jornandes affirmat, cauſamque hujus tam diri ſacrificii, captivorumque immolationis adjungit. Jornandes de rebus Geticis pag. 19. cap 5. *Quem Martem Gothi ſemper aſperrima placavere cultura. Nam victimæ ejus mortes fuere captorum, opinan-*

nantes bellorum præſulem aptius humani ſanguinis effuſione placandum. De *Tarquinienſibus* idem docet Livius lib VII. *Nec in acie tantum ibi cladis acceptum, quam quod trecentos ſeptem milites Romanos Tarquinienſes immolarunt.* Imo ipſi *Romani*, cum jam in triumpho Imperator victor in Capitolium veniſſet, *captivos necare ſolebant* forſitan Jovi Capitolino, ut colligere licet ex Appiano Alexandrino Bell. Mithridat. pag 170. Idem Strabo indicat Geograph. lib XII. pag. 174. *Poſt Actiacam vero victoriam Adjatorix Meclii Tetrarchæ Galatarum filius in triumphum ductus cum filio jugulatus eſt.* Ad eundem etiam modum Octavius Cæſar in bello Civili *captos ad aram Cæſaris* veluti *victimas* ejus manibus oblatas *mactari* juſſit. Dion lib. XLVIII. in Cæſare Octavio. pag. 367. *Venia ipſi aliiſque nonnullis data, plerique Senatores, Equiteſque, qui cum Antonio fuerant necantur; neque id communi more (ſiquidem verum eſt, quod fertur,) ſed quadringenti Equites Senatoreſque ad aram Cæſari ſuperiori ſacratam adducti, ibique mactati ſunt.* Addatur de eodem etiam Suetonius in Octavio pag. 67.

cap.

cap 15 *Scribunt quidam, trecentos ex deditiis electos, ad aram Divo Iulio exſtructam Idibus Martiis hoſtiarum more mactatos.* Apud *Americanos* etiam hodie *captivi Deis ſuis* offeruntur & *jugulantur*; videatur Martyr de novo orbe decad. v. c. 10. p. 432. & cap 111. pag. 353. decad. v. cap. 6. pag. 373. & alibi. De *Saracenis* P Æmilius lib. 11. ita. (Saraceni) *tranſmiſſo Rhodano, terrorem belli circumferunt: quicquid in fide Francorum erat, diripiunt, diruunt, incendunt: non viris, non mulieribus, non pueris, non ſenibus parcere*, cædem noſtrorum opimam & acceptiſſimam numini victimam arbitrati: *in templa auro ornamentiſque nudanda & ſolo æquanda vis avaritiaque ſæviebat.* Populi quoque *Septentrionales* non ſolum *captivos immolare*, ſed etiam *bello cæſos hoſtes*, ſicut de Saracenis audivimus, *pro acceptiſſima numini victima habere ſolebant*: quam crudelitatem illi, ut exiſtimo, reliqui ſupra dicti populi propterea exercuerunt, tam ut pro proſpero bellorum ſucceſſu Deis gratias referrent, quam ut in poſterum in bellis Deos ſibi obnoxios haberent. De

Se-

Septentrionalibus populis ita Olaus Magnus lib III. cap. 3. *Othinum qui bellis præſidebat cruore & morte captivorum placabant, opinantes bellorum præſidem aptius humano cruore placari, a quo viciſſim omnem belligerandi induſtriam adeo perfecte didicerunt, ut devictis Europæ & Aſiæ potentiſſimis imperiis, ſummum fortitudinis gradum reportarint.* Hinc *bello cæſos Odino mactatos* dicebant, teſte Arngrimo Crymog lib I. cap. 6. & Saxo lib. VIII. *Heraldum* introducit promittentem *ſe proſtratorum manes muneris loco Othino dedicaturum, modo victoriam obtineret optatam.*

CAP. XVIII.

Cum fædus percuterent, victimas immolabant, & tranſibant. C. Schotanus notatus. Homines immolabant in luſtratione exercitus, conjuratione, fæderis percuſſione. Herodotus illuſtratur, Tzetzæ error. illuminatur Plutarchus, Silius, & Statius. Sanguinis ex corpore eliciti potu conſpirarunt, inierunt fædera & amicitias, & pacem. Feſtus illuſtratur.

Quin-

QUintus harum *immolationum* & libationum *finis* apud Ethnicos fuit, *ut* illis quaſi *ſacramentum* eſſet, quo ſe mutuo ſibi arcte obſtringerent, & *ictum fœdus ſtabilirent*. Nam ſicuti verus Deus, quum promiſſum de ſemine Abrahami in immenſum multiplicando confirmare, adeoque cum ipſo Abrahamo fœdus percutere vellet, ei juſſit, ut *vitulam, capram, & arietem triennem* occideret, *quibus per medium diſſectis*, & *dimidiata quaque parte e regione ſuæ alterius* collocata, Deus *inter ſegmenta illa* ſub ſpecie *fumantis furni & ardentis lampadis cæca* jam *nocte tranſiit*; Geneſ. xv 10, 11, 17, 18. Jerem. xxxiv. 18, 19. ad quod adhuc Judæi reſpiciunt, cum in precibus ſuis dicunt. *Obſecro Rex miſericors & gratioſe, recordare & reſpice fœdus inter ſegmenta initum*: quemadmodum ex libro precum Judaicarum Ludovicus de Dieu affirmat. Ita etiam Gentiles eundem ritum *in luſtrandis exercitibus & pangendis fœderibus* religioſe obſervarunt teſte Theodoreto in Geneſ. quæſt. 66. Nam ritus hic obtinuit apud Chaldæos alioſque po-

populos Orientales, ut docet Cyrillus lib. x. contra Julianum. Eodem fere modo Græci & Trojani amicitiam reſarcire ſtudebant, de quo prolixe Homerus, lib. III. Iliad. Et Romani atque Albani fœdus iniverunt apud Livium l. I. Sed paganos & profanos in fœdere confirmando partes diſſectas non tranſiiſſe vult celeberrimus Vir Chriſtianus Schotanus in Hiſtor. Sacra tom. III. pag. 96. ad lib. I. cap 6. Sulpitii Severi Hiſtor. Cujus viri ſententiæ ſicut refragari nolo, ita certum eſt, quod Ethnici cum mutuam fidem ad aliquid præſtandum inter ſe obligarent, & jurarent (quod juramentum certe & obligatio quid aliud quam fœdus eſt?) per porci mactati medium tranſgreſſi fuerint. Sic Dictys Cretenſ. lib. bell. Trojan. de Græcis. *Tunc communi conſilio ſuper conditione prælii* (belli) *juſjurandum interponi hoc modo placuit: Calchas Teſtoris filius, præſcius futurorum, porcum marem in forum medium afferri jubet, quem in duas partes exſectum orienti occidentique dividit, atque ita ſingulos nudatis gladiis per medium tranſire jubet. Dein mucronibus ſan-*

ſanguine ejus oblitis, *adhibitis etiam aliis ad eam rem neceſſariis*, *inimicitias ſibi cum Priamo per religionem confirmant*, *neque prius ſe bellum deſerturos*, *quam Ilium atque omne regnum eruiſſent*. *Queis perfectis pure loti Martem atque concordiam multis immolationibus ſibi adhoſpitavere.* Hoc etiam extra omnem controverſiæ aleam eſt poſitum, exercitus luſtrandos *animalis* per medium diſſciſſi *partes tranſiiße*, ſicuti de *Bœotis* Plutarchus ex fide Hugonis Grotii apud eundem Schotanum eodem loco p. 97. de *Macedonibus* Curtius lib. x. p. 291. teſtatur, qui ad hoc canem adhibuerunt. Ita etiam *Melotti luſtraturi* copias *per taurorum ſegmenta tranſgreſſi* ſunt, teſte Hugone Grotio ex Zenobio. *Xerxes* vero Perſarum Monarcha animalibus irrationalibus non contentus exercitum ſuum *per Pythii filii natu maximi* diſſectas *duas partes traduxit & luſtravit* ſicut docet Herodotus lib. VII. pag. 389. *In extis* etiam *jugulati* bucoli *Ægyptii conjurarunt*, fœdus percuſſerunt, & contra Romanos conſpirarunt; de quibus Dion lib. LXXI. *Adhæc motus latronum in Ægypto, qui Bucoli*

quaſi

quaſi Paſtores Boum dicuntur, factus eſt: cæteris etiam Ægyptiis a Sacerdote quodam, & Iſidoro ad defectionem ſollicitatis. Hi enim primo ornati muliebri veſtitu, ſimulanteſque ſe uxores Buculorum eſſe, Romanoque Centurioni aurum pro viris ſuis daturas, eum accedentem ad ſe doloſe interfecerunt, mactatoque ejus comite, conjuraverunt in viſceribus ejus, *quæ etiam ad extremum comederunt.* Sic etiam Ægyptiorum Auxiliares *Græci* & *Cares* cum hoſtibus congreſſuri *puerorum mactatorum ſanguinem ſibi invicem propinarunt*, quo fortaſſe tanquam ſacramento fidem mutuam interpoſuerunt, quod alter alterum in prælio non deſereret, ſed omni opera & viribus, quantum poſſet, adjuvare conaretur. Herodotus lib. III. pag. 161. *Filios qui erant a Phane relicti in Ægypto in caſtra perduxerunt, atque in conſpectum Patris, poſitoque in medio duorum exercituum cratere: dehinc productos ſingulos puerorum ſuper craterem obtruncaverunt. Omnibus interfectis, vinum & aquam in cratere intulerunt: quo ſanguine epoto auxiliares ita conflixerunt.* Dici etiam poſſet, quod hoc ſanguine ſe inebria-

verint, ut victoriam ab hoſte reportarent, de quo ſupra. Simili fere modo *Græci* adverſus Perſarum inſultus, & inſtans bellum, ſe mutuo juramento obſtrinxerunt, *fæduſque* ad hoſtem propulſandum *fecere*. Herodotus lib. VII. *Fædus autem ita habebat*: *Quicunque Græci ſe dediſſent Perſæ non adacti neceſſitate, eorum decimum quemque rebus bene conſtitutis, ſe Deo, qui Delphis eſt, devoturos.* Hoc nefando *ſacramento Bruti filii* in Romanæ Reipublicæ perniciem etiam *conſpiraſſe* dicuntur a Johanne Tzetza Hiſtor. Chil. VI. cap. 59.

Ἐν παραλλήλοις πλούταρχος τοὺς βρούτου παῖ-
δας λέγει,
Τίτον καὶ οὐαλλέριον καὶ τοὺς τοῦ κολλατίνου,
Ἐκ κοπρεῶνι ζοφερῷ ἄνθρωπον καταθῦσαι,
Καὶ τῶν ἐγκάτων δὲ αὐτοῦ φαγόντας, συνομόσαι,
Ὅπως ἂν τυραννήσωσι τῆς παλαιτέρας ῥώμης.

In parellelis Plutarchus Bruti filios dicit
Titum & Valerium, & illos Collatini
In latrina obſcura hominem immolaſſe,
Et inteſtina ejus comedentes conjuraſſe,
Ut tyrannidem haberent veteris Romæ.

Errat autem maxime Tzetza, quod

Plu-

Plutarchum in Parallelis conſpirationem hanc Bruti filiorum per viſcera humana factam commemorare affirmat. Sed eo in loco pag. 308. Plutarchus quidem ex Ariſtide Mileſio in Italicis ſcribit, quod Brutus filios ob proditionem ſecuri percuti juſſerit, ſed de inteſtinorum commeſtione & latrina ibi ne jota quidem habet; ſed in vita Poplicolæ pag. 98. ita hanc hiſtoriam commemorat Plutarchus. Ὡς δ' οὖν ἐπείσθη τὰ μειράκια, καὶ τοῖς Ακυλίοις ἐις λόγοις ἦλθε, ὅρκον ὀμόσαι μέγαν ἔδοξε πᾶσι καὶ δεινὸν, ἀνθρώπου σφαγέντος ἐπισπείσαντας αἷμα, καὶ τῶν σπλάγχων θιγόντας ἐπὶ τούτοις ἐις τὴν Ακυλίων οἰκίαν συνῆλθον. *Ut igitur hi adoleſcentes pellecti in coloquium cum Aquiliis venerunt, omnibus viſum eſt hominis jugulati ſanguine libato, & viſceribus tactis, magnum & dirum juſjurandum concipere. Ad eam rem in domum Aquiliorum congrediuntur.* Eodem modo *Romano imperio inſidiati ſunt Catilinæ ſocii*, & ſatellites, qui non tantum ſuper mactati pueri viſceribus juramento inito ad mutuum auxilium & fidem ſe obligarunt, ſed etiam hoſtiæ mactatæ inteſtina comederunt. Dion. lib. XXXVII. Hiſtori-

ſtoriarum Romanarum illud ſcribit. *Erant inter hos primarii viri potentiſſimique, ac præter alios, ipſe etiam Conſul Antonius. Hos, ut ſe nefando juramento adſtringerent* (Catilina) *adegit. Puerum enim quendam mactavit, juramentoque inito ſuper ejus viſceribus, ea deinde ipſe cum aliis comedit.* Humani *ſanguinis* ſolummodo potus & propinationis mentionem facit Saluſtius bell. Catilin. pag. 15. *Fuere ea tempeſtate, qui dicerent, Catilinam, oratione habita, cum ad juſjurandum populareis ſceleris ſui adigeret, humani corporis ſanguinem vino permixtum in pateris circumtuliſſe; inde cum poſt exſecrationem omnes deguſtaviſſent, ſicuti in ſolennibus ſacris fieri conſuevit, aperuiſſe conſilium ſuum.* Idem Florus lib. IV. cap. I. *Additum eſt pignus conjurationis ſanguis humanus, quem circumlatum pateris bibere ſummum nefas niſi amplius eſſet, propter quod biberent.* Minucius in Octav. p. 71. cum prioribus etiam exacte conſentit. *Ipſum credo docuiſſe ſanguinis fœdere conjurare Catilinam, & Bellonam ſacrum ſuum hauſtu humani cruoris imbuere.* Adde de hoc Catilinæ ſcelere Suidam in Catilin. Lactan-

tium

tium in v. Theb. Statii pag. 170. Nicetam Choniaten de Imperio Iſaaci Angeli lib. II. pag. 444. Tertullianum in Apolog. cap. 9. qui cum Dione Caſſio lib. XXXVII. pag. 48. uno ore affirmant, quod *conjurati hominis illius mactati carnem & viſcera comederint*, ſicut etiam docet Plutarchus in Cicerone pag. 866. τοῦτον οὖν προστάτην οἱ πονηροὶ λαβόντες ἄλλας τε πίστεις ἀλλήλοις ἔδοσαν, καὶ καταθύσαντες ἄνθρωπον ἐγεύσαντο τῶν σαρκῶν. Eo (Catilina) *delecto improbi civis duce, fidem cum aliis modis ſanxerant inter ſe, tum mactati hominis guſtata carne* Vox καταθύοντες. quam habet Plutarchus mihi perſuadet, ut credam, illum per ſubjecta verba ejuſmodi conſpirationem hominis immolatione confirmatam intelligere, cum dicat in libello de Sera Numinis vindicta, pag. 556. οἱ δὲ καταθύοντες ἀνθρώποις ἐπὶ τυραννίσι καὶ συνωμοσίαις, ὡς Απολλόδωρος. *Qui vero tyrannidis & conſpirationis gratia homines immolaverunt (ſacrificarunt) ut Apollodorus*. Videmus igitur, quod hic locus præcedentibus Authoribus acceptum ferre debeat, quod ſenſus ejus intelligatur. Nec hoc mirum, quod ita

per ſanguinis propinationem conſpiraverint, cum humani ſanguinis potus mirum in modum hominem efferat, & ex miti crudelem & audacem facit, ſicut doctiſſimus Medicus Langius l. 1. c. 71. docet; & Clariſſ. Sennertus exempla proponit hominum, qui ex humani cruoris guſtu ferocierunt, & ex manſuetiſſimis momento ſæviſſimi evaſerunt. Dan. Sennertus part. 11. lib. 1. cap. 31. de epilepſia pag. 665. Sed ad viam. Ita etiam *Hannibal*, cum tempeſtatem illam, quam in Romanos effudit, animo conciperet, *libato humano ſanguine* æternum Romano nomini bellum & odium indixiſſe & juraſſe videtur. Silius Italicus l. 11. de Bello Punico f. 20. ita intelligi & capi poteſt.

Parte alia ſupplex infernis Annibal aris
Arcanum Stygia libat cum Vate cruorem,
Et primo bella Æeneadum jurabat ab ævo.

Hinc etiam illuſtrari poſſet Statius Thebaid. lib. v. pag. 179. ubi agit de *Leſbi* inſulæ *fœminis*, quæ furiata mente bacchantes omnem virilem ſexum per inſulam exſtirparunt, de quibus ita canit.

Congeſtiſque avidæ ſimul undique dextris

Per-

Perſtringunt, ac dulce nefas in ſanguine vivo
Conjurant.

Eodem etiam modo *Sariaſter Armenius* adverſus patrem ſuum Tigranem Armeniæ Regem *ita cum amicis conſenſit*, & conſpiravit, *ut omnes dextris manibus ſanguinem mitterent, atque eum invicem ſorberent*, ſunt verba Valer. Maximi l. IX. c. 11. Sic *cruore e dextris conſtrictis elicito*, & ab utraque parte *delibato Ponti Reges fœdera* & amicitiam pacemque contraxerunt. Tacitus Annal. lib. XII. pag. 261. *Mos eſt Regibus, quoties in ſocietatem coeant, implicare dextras, pollicesque inter ſe vincire, nodoque præſtringere. Mox ubi ſanguis in artus extremos ſe effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt. Id fœdus arcanum habetur, quaſi mutuo cruore ſacratum.* Eodem fere modo paciſcuntur *Lydi* ac *Medi*. Herodotus lib. I. pag. 29. *Ineunt autem hæ gentes fœdera cum cætera ritu Græcorum, tum feriendo brachia, quo illa humeris connectuntur, ac mutuum ſanguinem delingendo.* Similiter *Arabibus* quoque eadem fœderis ineundi conſuetudo fuit. Herodotus l. III. p. 160. *Quoties fœdus inire volunt, alius quidam me-*

dius inter utroſque ſtans, acuto lapide ferit violam, juxta majores digitos eorum, qui fœdus ineunt. Deinde ſumpto flocco ex utriuſque veſtimento, inungit eo ſanguine ſeptem lapides in medio poſitos, inter inungendum, invocans Dionyſum & Uraniam. &c. Omnia *fœdera, ſocietates* & *amicitiæ* ſive inter publicas, ſive privatas perſonas initæ, *ſanguinis mutui* ex corpore provocati *deguſtatione apud Scythas ſacrabantur.* De iis P. Mela. lib. II. cap. 8. pag. 40. *Ne fœdera quidem incruenta ſunt, ſauciant ſe, quia paciſcuntur, exceptumque ſanguinem ubi permiſcuere, deguſtant: id putant manſuræ fidei pignus certiſſimum.* Idem *de Scythiæ* populis affirmat & teſtatur. Herodotus lib. III. pag. 241. *Fœdera cum quibuſcunque ineunt Scythæ, hoc modo ineunt: Infuſo in grandem calicem fictilem vino, commiſcent eorum ſanguinem, qui feriunt fœdus, percutientes cultello aut incidentes gladio aliquantulum corporis, deinde in calice tingunt acinacem, ſagittas, ſecurim, gladium. Hæc ubi fecerunt, ſeſe multis verbis devovent: poſtea vinum epotant, non modo ii, qui fœdus fecerunt, ſed etiam comites ii, qui ſunt maximæ digni-*

dignitatis. De privatis amicitiis & ſocietatibus a Scythis initis in hunc modum diſſerit Lucianus, Toxaris pag. 636. & 637. ex interpretatione Eraſmi Roterodami. *At ubi jam in amicitias cæteris repulſis delectus eſt quiſpiam. protinus fœdus initur, ac juſjurandum quod ſit maximum.* &c. Etenim *ſimul atque* ἐντεμόντες ἅπαξ τοὺς δακτύλους, ἐνσαλάξωμεν τὸ αἷμα εἰς κύλικα, καὶ τὰ ξίφη ἄκρα βάψαντες, ἅμα ἀμφότεροι ἐπισχόμενοι πίωμεν *Inciſis digitis ſanguinem in calicem deſtillaverimus, ſummiſque intinctis gladiis ambo pariter admoventes biberimus, non eſt quicquam quod deinde nos queat dirimere.* &c. Sic *Carmani* etiam proprii *ſanguinis ſtillicidiis amicitiam* ſancire ſolebant. Poſidonius apud Athenæum lib. 11. 7. Τούτους γὰρ φιλοφρονουμένους ἐν τοῖς συμποσίοις, λύειν τὰς ἐπὶ τῷ προσώπῳ φλέβας, καὶ τὸ καταῤῥέον αἷμα μιγνύντας τῷ πόματι, προσφέρεσθαι, τέλος φιλίας νομίζοντας τὸ γεύσασθαι τοῦ ἀλλήλων αἵματος. *Ii namque humane ac benigne cum aliquos excipiunt in convivio, frontis vena tuſa manantem ſanguinem admiſcent ei, quem bibendum offerunt, potioni. ſummam id eſſe amicitiam putantes, ſi ſuum invicem ſanguinem guſtaverint.* Sic

Japonnenſes etiam hodie, cum aliquid magni momenti confirmare volunt, *ſanguine* ex corpore extracto *illud ſubſcribunt*, ſicut teſtatur Reyerus Giſberti in Hiſtor. Martyr. Japan. Tertullianus in Apolog. teſtis eſt *populos* forſitan ſupra dictos modo ſupra indicato fœdera & amicitias ſuas inivisse. *Legite*, inquit, *necubi relatum ſit diffuſum brachiis ſanguinem ex alterutro deguſtatum nationes quaſdam fœderi comparaſſe.* Sed nec *Romanis* ipſis ejuſmodi *cruenta potio* abſtruſa fuit, quam *Aſſiratum* dixerunt, quoniam *aſſir ſanguis* eſt, ut aiunt Gloſſæ. Feſtus ita capi poteſt. *Aſſiratum apud Antiquos dicebatur genus quoddam potionis ex vino & ſanguine temperatum, quod Latini priſci ſanguinem Aſſir vocarent.*

Cap. XIX.

Punctis & inciſionibus in cute notati Romani milites, magi, populi, hæretici. Prudentius illuſtratur, & V. Flaccus. Magi veſcebantur ſanguine humano, & humanas victimas Diabolo immolarunt, per quas magiam exercebant. Cicero illuſtratur. Tertullianus tentatur, & Lucanus explicatur.

catur, Valerius Flaccus illuſtratur. Magi ad magiam adhibebant cadavera. Livius illuſtratur. Uſurpabant & partes cadaverum. Plinius explicatur. Horatius corrigitur & explicatur. Homines immolati ad pocula amatoria conficienda, & magiam exercendam, per quam homines necati. Illuſtratur Codicis lib. I X. *tit.* 8.

Milites nomen militiæ Romanæ daturi *in cute picturis & punctis quibuſdam inſigniebantur*, quod ſacramentum erat ipſos Romanæ Reipublicæ ad mortem uſque fore devotos. Vegetius lib. II. de re militari fol. 16. cap. 5. *Nam picturis in cute punctis milites ſcripti, & matriculis inſerti jurare ſolent.* Ad eundem modum *Magi* & populi Diabolo auctorati non ſolum per nefandas hominum immolationes ſuum erga Infernalem Monarcham obſequium declararunt, ſed etiam ſe ipſos quaſi Diabolo devoverunt & immolarunt, cum ſanguinem haurirent, & *corpus cruentis ſignis, vulneribus, & punctis notarent*, quo veluti ſacramento ſe Diaboli militiæ adſcriptos, & morigeros atque obnoxios ſervos & ſubditos eſſe teſtarentur. De

populis Ethnicis, ſuum corpus punctis, & vulneribus Diabolicis inſignientibus Georgius Fabricius in Poetas Chriſtianos ita teſtatur. *Notis corpora ſignabant gentiles: eaſque notas religionis cauſa membris ferro inurebant: membra ejuſmodi ſtigmatis notata poſt mortem non una ſepeliebant cum reliquo cadavere, ſed amputata habebant pro ſacris, eaque aut ornabant bracteis aureis, aut tota includebant vitris & metallis.* Prudentius Steph. hymno decimo. *Inde fortaſſe invaſit ille mos in Eccleſiam, ut digiti, brachia, articuli ſanctorum includerentur vaſis, & oſculanda porrigerentur.* Sed audiatur ipſe etiam Prudentius Periſt. Paſſ. Romani. pag. 210.

Quid quum ſacrandus accipit ſphragitidas?
Acus minutas ingerunt fornacibus,
His membra pergunt urere, utque igniverint,
Quamcunque partem corporis fervens nota
Stigmarit, hanc ſic conſecratam prædicant.

Niſi forte hunc locum militibus Romano imperio nomen & ſacramentum dantibus applicare velis; de quo ſupra. Hanc Diabolicam conſuetudinem antiquiſſimam fuiſſe, & a Syris ſive Phænicibus ad

Romanos alioſque populos tranſiiſſe veriſimile videtur, quippe Divus Hieronymus Quæſt. Hebr. in libr. Paralipomen. in iſta verba; (*Reliqua autem verborum Ioachim, & abominationum ejus, quas operatus eſt, & quæ inventæ ſunt in eo*) ſcribit, Joachim inter cætera mala, quæ geſſit, etiam hoc *feciſſe in corpore ſuo*, quod Dominus prohibuerat, *ſtigmata ſcilicet, quæ, inquit, poſtquam mortuus eſt, in corpore ejus inventa fuerunt*. Chriſtiani in multis Ethnicorum æmuli hos etiam ſecuti olim ſe his *ſignis infamarunt*. De *Carpocratis Diſcipulis* Irenæus lib. 1. cap. 24. fol. 51. *Alii vero* (ex Carpocratis diſcipulis) *ſignant cauteriantes ſuos ſemper diſcipulos, in poſterioribus partibus exſtantiæ dextræ auris*. Ferociſſimi illi olim populi Hunni faciem ſuam deformibus etiam vulneribus & cicatricibus fœdarunt, nam eis *ferro peraraſſe genas* mos erat, ut canit Sidonius Apollinaris Paneg. ſoceri ſui. Et illud non mirum, ſi ita ſe Diaboli miniſteriis addictos oſtenderint, cum orti & prognati ab incubis, ſive dæmonibus legantur apud Bonfinum l. 11. decad. xxi.

 Sed

Sed morali uſui hæc vulnera adſcribit Sidonius Apollinaris Paneg. Antem. Auguſt. ubi ita loquitur de Hunnis.

Gens animis membriſque minax, ita vultibus ipſis
Infantum ſuus horror ineſt, conſurgit in arctum
Maſſa rotunda caput geminis ſub fronte cavernis:
Viſus adeſt oculis albentibus, acta cerebri
In cameram vix ad refugos lux pervenit orbes,
Non tamen excluſos, nam fornice non ſpatioſo
Magna vident ſpatia & majorem luminis uſum,
Perſpicua in puteis compenſant puncta *profundis,*
Tum ne per malas excreſcat fiſtula duplex,
Obtundit teneras circumdata faſcia nares
Ut galeis cedant. Sic propter prælia natos
Maternus deformat amor, quia tenſa genarum
Non interjecto fit latior area naſo.

Adde Jornan. c. 24. Ammianum l. xxI. V. Flaccus Argon. l. II v. 150. loquens de Fœmina Threiſſa ita explicandus eſt.

Picta manus, uſtoque placet ſed barbara mento.

Cutem etiam ſuam atque faciem, ſive in nobilitatis ſignum, ſive decoris gratia, ſive ſanitatis cauſa, ſive ob ſacramentum & pactum cum Diabolo initum

variis *punctis*, *picturis*, & vulneribus diſtinxerunt *Thraces*; Herodotus lib. v. *Geloni*; Claudianus lib. 1. in Rufum. *Agathyrſi*, Ammianus Marcellinus l. xxxi. *Britanni*; Claudianus Paneg. Stiliconis 11. Ovidius Amor. lib. 11. eleg. 16. Martialis Epigramm. lib. xi. Tacitus in Agricolæ Vita. *Monæ incolæ*; Jornandes de reb. Get. cap. 2. *Getæ*; idem p. 6. Claudianus de bello Getico f. 88. *inſulani Capul in Aſia*; Arnoldus Montanus in Mirand. Ind. lib. 11. cap. 3. *incolæ promontorii bonæ Spei*; Cornelii Houtmanni Itinerar. *Moſambique in Africa*; Hugo Linſchoten itinerar. cap. 41. *Promontorii viridis*, *regni Barbecyns*, *Forkado*, *Guneæ*, *Abyſſini. aliique Africæ populi*; Brokardus, Moquet Itin. lib. 111. Herberts in deſcript. Promont. Bonæ Spei. *Americani* Johannes Lerius in Navigat. ad Braſiliam cap. 8. *Peruviani*; Bertius deſcript. Americæ. Ita etiam quando *Magi cum Diabolo* & inferno *fœdus pangerent*, fiebat hoc & *literis magi ſanguine exaratis*, & *ſigno ſtigmatico ejus corpori inuſto*; Vide Petrum Oſterman. Celeberr. Voetium

tium de magia diſput. pag. 550. Hodie etiam cum apud *Caribanos* Americæ populos aliquis ſe ſcholæ Satanæ addicere & devovere geſtiat, ut ab hoc infernali Academico Philoſopho Medicinam & Magiam addiſcat, non ſolum a pueris ab eſu quorumdam ciborum abſtinere tenetur, ſed etiam *ei ſanguis ex omnibus corporis partibus dente beſtiæ* nomine Agouty elicitur, ſicut oſtendit Charl. de Rochefort Hiſtor. Amer. Inſular. Moral. cap. 23. pag. 452. Olim autem *Magi* in devotionis, quam Dictatori ſuo infernali debebant, ſacramentale ſymbolum *veſci ſanguine* obligabantur. Teſtatur illud Moſes Ægyptius in libro perplexorum, quem more Nebochim appellat. *Magi* (*forte* humanum) *ſanguinem edebant, cum aut dæmonibus conjungerentur, aut ex illis futura prædicerent*. Citatur a Joh. Druſio in notis ad lib. 1. cap. 4. Hiſtor. Sulpitii Severi. Et non tantum vulneribus & notis proprio corpori impreſſis, propriique ſanguinis profuſione, ſanguiniſque eſu, pactum expreſſum inter Satanam & magos initum confirmabatur, ſed

ſed etiam diræ victimationes, & aliorum *Hominum immolationes*, & cruentæ *ſanguinis humani libationes* inter Inferni Monarcham Diabolum, ejuſque ſubditos magos ſagaſque fuerunt inſtar ſacramenti, quo per magiam ſub dæmonis auſpiciis & aquila militantes plurima mira operari, divinationibus uti, & futura prædicere poſſent, ſi his abominandis victimis ſummo ſuo Prætori & Dictatori Diabolo nomen & fidem dare non recuſarent. Sic Lucanus expreſſe fatetur, quod *ſagæ Diabolo infantes immolaverint*, eorumque exta & capita obtulerint, ut prædicta privilegia ab ipſo obtinerent. Lucanus lib. VI. pag. 168.

Exaudite preces, ſi vos ſatis ore nefando
Polluto que voco; ſi nunquam hæc carmina fibris
Humanis jejuna cano, ſi pectora plena
Sæpe dedi, & lavi calido proſecta cerebro.
Si quis qui veſtris caput extaque lancibus infans
Impoſuit, victurus erat, parete precanti.

Hæc Lucani verba magnam lucem Ciceroni ſuppeditant in Oratione in Vatinium pag. 58. *Vt cum inaudita & nefaria ſacra ſuſceperis, cum puerorum extis Deos Manes*

Manes mactare ſoleas. Nam ex his Ciceronis verbis cum Lucani dictis collatis apparet, *Vatinium* juxta fidem & exprobrationem Ciceronis *puerorum immolatorum exta Diis manibus ad magiam exercendam obtuliſſe.* Nam *mactare* apud Plautum pro *honorare* ſumitur, cum dicit. *Tamen honeſte mactatum reducam domum.* Sed pro *mactare* corrigere etiam poſſemus *placare*, niſi duo codices, quorum alter impreſſus eſt Francofurdi anno. M D X C. alter M D X C I V, haberent *mactare.* Ita *incolæ* regni *Biaſar* in Negritarum regione in Africa uſque adeo magiæ ſunt dediti, ut proprios filios diabolo offerre non refugiant, ſi modo tonitrua, fulmina, & imbres ciere per ipſius indulgentiam eis concedatur. Vide Dapperum in deſcript: Africæ. Hæc autem *hominum ſacrificia ad magiam exercendam fuiſſe adhibita* Tertullianus lib. 1. adverſus Marcionem innuere videtur his verbis;

Terribilis Magicæ refugarum audacia ductos
Confictam molem, mirantes ſpernere vitam
Impulit in præceps ſcelerata inſania merſos,
Sanguine gaudentes, homicidia ſæva minari

Cor-

Corpore in alterius tunc carnis vulnus amare.
Hæc Tertulliani verba obſcura ſunt, & corrupta videntur, medicamque manum ab eo flagitant, cui otium ſupinum ſuppetit, & veteres codices ad manum ſunt. Attamen ſalvo aliorum judicio ita etiam explicari & conſtrui poſſunt, ſi pro *terribilis magicæ* corrigamus *terribili magica. Audacia refugarum ductos terribili magica, mirantes molem conſictam, ſcelerata inſania merſos, ſanguine gaudentes impulit in præceps ſpernere vitam, homicidia ſæva minari, & amare carnis vulnus in corpore alterius.* Id eſt. *Audacia refugarum*, qui a vera religione tanquam fugitivi refugerant illos, qui erant *ducti* ſeductique *terribili magica* arte, quique *mirabantur* hanc *molem* magiæ *conſictam* atque falſam, aut potius confictam molem ſimulachrorum Deorum falſorum, quique *ſcelerata inſania* erant *merſi*, quique *ſanguine gaudebant*, ejuſmodi & illos inquam homines *impulit in præceps*, ut *ſpernerent vitam, homicidia ſæva minarentur*, & *carnis vulnus amarent in corpore alterius.* Supra *refuga* per fugitivum expoſui, ſicut & ea vox ita ponitur ab

Ulpiano in lege aut damn. de pœn. *Qui-que refuga ex opere metalli in metallum dam-nantur*; atque tunc hoc modo verſus illos concinnarem & ponerem.

Terribili magica refugarum audacia ductos;
Sanguine gaudentes, ſcelerata inſania merſos,
Confictam molem mirantes, ſpernere vitam
Impulit in præceps, homicidia ſæva minari
Corpore in alteriustunc carnis vulnus amare.

Sed ſi mecum urere & ſecare, & critica virga in deplorata Authorum ulcera ob-ſcuraque verba ſævire refugias & abhor-reas, ita etiam Tertullianum noſtrum explicare potes: *Scelerata inſania impulit in præceps & merſit* eos, qui *ducti* & ſeducti *audacia refugarum mirabantur* falſam & *confictam molem terribilis magicæ*, quique *ſanguine gaudebant*, ut *vitam ſpernerent, ho-micidia ſæva minarentur*, & *carnis vulnus amarent.* Sed forſitan aliquis obiiciet, quod ſi hæ duæ ſuperiores explicationes valerent, aut *audacia*, aut *ſcelerata inſa-nia* in ablativo caſu poneretur, atque ita produceretur, & longa eſſet; ſed Ter-tullianus ut ſupra patet & *audacia* & *inſa-nia* corripit, ergo nominativo caſu ab

ipſo

ipſo efferuntur. Sed reſpondeo, quod Tertullianus non religioſus obſervator proſodiæ fuerit, ſicut ex hoc unico exemplo patet, quod apud eundem occurrit in libro II. contra Marcionem.

Auſus mercedem belli Deo dicere grandem.

Ibi enim contra regulas Proſodiæ *Deo* in dativo caſu corripitur. Sed ad viam calamum reflectamus. Idem *ſcelus homines ex magia immolandi* Lucanus indicat, qui ita explicandus eſt lib. VI. pag. 159.

Ille ſupernis
Deteſtanda Deis ſævorum arcana magorum
Noverat, & triſteis ſacris feralibus aras.

Et populos nomine *Choatras per victimas humanas Diabolo*, in cujus erant ſacramento, oblatas *magiam exercuiſſe*, ſine dubio indicat Valerius Flaccus Argonaut. lib. VI. qui in illis populis immolandorum hominum ritum, & artes monſtrificas illas (puta Magiæ) jungit.

Centoras, & diros magico terrore Choatras,
Omnibus in ſuperos ſævus honos, omnibus artes
Monſtrificæ, nunc vere novo compeſcere frondes
Nunc ſubitam trepidis Mæotin ſolvere plauſtris.

Magi

Magi autem hi, *ſagæque* gentiles ad ſuas ferales artes exercendas aut *hominum mortuorum & occiſorum cadaveribus abutebantur*, aut *ipſos homines immolabant*, *& his ita immolatis ſacra ſua peragebant.* Sed ut primo de *cadaveribus* loquamur, adhibebant ad ſua myſteria aut *illa corpora tota*, aut tantum *eorum partes*: Illud expreſſe teſtatur Porphyrius de non edend. Animal. lib. II. his verbis. Καὶ αἱ τῶν ἀτάφων παρεδρεύουσι τοῖς σώμασιν. αἷς καὶ οἱ γόητες καταχρῶνται πρὸς αὐτῶν ὑπηρεσίαν, βιαζόμενοι τῇ τοῦ σώματος ἢ μέρους τοῦ σώματος κατοχῇ. *Corporibus enim ſepultura carentibus animæ aſſident, quibus præſtigiatores vim illis inferentes aut totius corporis, aut partis alicujus poſſeſſione ad ſuum obſequium abutuntur.* Hi *Magi* igitur primo, ut in Porphyrio vides, *per tota cadavera Magiam ſuam operabantur.* Hinc illuſtrari poteſt Livius de horrendis ſacris iſtorum bacchantium (de quibus infra) loquens lib. XXXIX. pag. 856. *Ita ut ne corpora quidem interdum ad ſepulturam exſtarent*: quæ ſcilicet illi ſuffurabantur, ut per illa magiam ſuam exercerent. De *totis cadaveribus* ita Lucanus intelligendus lib. VI. Belli

Civil. pag. 163. ubi de Theſſaliæ ſagis loquitur.

Laqueum nodoſque recenteis
Ore ſuo rupit; pendentia corpora carpſit
Abraſitque cruces.

Rurſus in eadem pagina.

Et quodcunque jacet nuda tellure cadaver;
Ante feras volucreſque ſedet;

Parte etiam *aliqua* corporis ſive *cadaveris anus incantatrices* & *magi ad ſua ſcelera abutebantur*; hoc Lucanus innuit lib. VI. pag. 164. de Teſſala ſaga loquens.

Hic ardor ſoluſque labor, quid corpore Magni
Projecto rapiat.

Iterum Idem de eadem pag. 164.

Vetuit tranſmittere bella Phillippos
Tot mortes habitura ſuas,
cæſorum truncare cadavera Regum
Sperat, & Heſperiæ cineres avertere gentis.

Ex partibus igitur hiſce huic uſui erant deſtinati & conſecrati *artus*, de quibus iterum Lucanus lib. VI. pag 164.

Hic ardor ſoluſque labor
quos Cæſaris involet artus.

Et pag. 163.

Ante feras volucreſque ſedet, nec carpere membra
Vult

Vult ferro, manibuſque ſuis, morſuſque luporum
Exſpectat ſiccis raptura e faucibus artus.

Et pag. 162.

Aſt ubi ſervantur ſaxis, quibus intimus humor
Ducitur, & tracta dureſcunt tabe medullæ
Corpora; tunc omnes avide deſævit in artus.

Ex his autem cadaverum membris abſcindebant & uſurpabant *capita humana* teſte eodem Lucano pag. 163.

Sæpe etiam charis cognato in funere dira
Theßalis incubuit membris,
Truncavitque caput.

Naſos; ſicut Apuleius fuſe docet lib. 11. Mileſ. pag. 310. *linguam* & *oculos*, de quibus iterum Lucanus pag. 163.

Sæpe etiam charis cognato in funere dira
Teßalis incubuit membris, atque oſcula figens
compreſſaque dentibus ora
Laxavit: ſiccoque hærentem gutture linguam
Præmordens.

De *oculis* vero ita.

Immerſitque manus oculis, gaudetque gelatos
Effodiſſe orbes.

Adhibebant etiam ad hoc *oßa*, teſte eodem Lucano lib. IV. pag. 164.

Oſſa-

Oſſaque nobilium, tantaſque acquirere manes
Sperat.

Rurſus pag. 162.

Fumantes juvenum cineres, ardentiaque oſſa
E mediis rapit illa rogis.

Sanguinem. Idem pag. 163.

Nec ceſſant a cæde manus, ſi ſanguine vivo
Eſt opus, erumpat jugulo qui primus aperto.

Medullas, & *ſaniem* etiam uſurpabant. De hoc rurſus Lucanus.

Vulſit & incoctas admiſſo ſole medullas.
Inſertum manibus chalybem nigramque per artus
Stillantis tabi ſaniem, viruſque coactum
Suſtulit, & nervo morſus retinente pependit.

Idem fortaſſe Plinius innuit Natural. Hiſtor. lib. XVIII. cap. I. pag. 504. *Alii medullas crurum & cerebrum infantium*, &c. Et *viſcera* etiam ad hæc feralia Sacra *in uſu erant.* Lucanus lib. V. pag. 163.

Percuſſaque viſcera nimbis
Vulſit:

Vivum ſi ſacra cruorem,
Extaque funereæ poſcunt trepidantia menſæ.

Et ſpeciatim *cor humanum*; quod ex cadaveribus magi apud Indos Swangii no-

mine nocte concubia exſecare ſolent. Itinerar. Verhoeven p. 154. Unde forſitan hodie etiamnum apud Perſas ſagæ eorum corda comediſſe creduntur & dicuntur, quos *viſu ſuo oculiſque iratis effaſcinant & interimunt*, teſte nobiliſſimo Pietro della Valle in Itinerar. part. v. cap. 1. p. 4. ejuſmodi effaſcinationis apud Triballos & Illyrios uſitatæ meminerunt Iſigonus, Plinius lib. VII. Natur. Hiſtor. cap. 2. p. 109. & ex illo Ortelius; addatur Azorius part. lib. IX. cap. 25. qui poſſibilitatem ejuſmodi faſcinationis defendit. Et Virgilius Eclog. III.

Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos.

An vero hæc ſupra dicta ex cadaveribus a ſagis & magis exſciſſa poculis amatoriis conficiendis inſervierunt, & conduxerunt, pro veritate affirmare non auſim; veriſimile tamen videtur, quaſdam corporis partes hunc ad uſum eſſe adhibitas. Quippe Canidia aliæque veneficæ ad poculum amatorium conficiendum *medulla & jecinore pueri* prætextati uti & abuti incubuerunt teſte Horatio Epod. V. p. 120. 121.

Ut hæc trementi queſtus ore conſtitit
Inſignibus raptis puer,
Impube corpus, quale poſſet impia
Mollire Thracum pectora, &c.
Mox. *Abacta nulla Veja conſcientia,*
Ligonibus duris humum
Exhauriebat ingemens laboribus:
Quo poſſit infoſſus puer
Longo die bis terve mutatæ dapis
Inemori *ſpectaculo:*
Quum promineret ore, quantum extant aquæ
Suſpenſa mento corpora:
Exſucta *uti* medulla, *& aridum* jecur
Amoris eſſet poculum:
Interminato quum ſemel fixæ cibo
Intabuiſſent pupulæ.
Pag. 122. *Sub hæc puer,* (loquitur:)
Quin ubi perire juſſus exſpiravero,
Nocturnus occurram furor, &c.

In ſuperiori loco pro *exſucta* cum aliis legendum cenſeo *exſecta*. Ita Herodotus de Menelao. *Sumptis duobus pueris* exſectiſque *aruſpicinam fecit*. Sed de illo infra. Ad medicata hæc pocula & philtra componenda *reſecabant* etiam *hominis crines, capillos,* &

ungues; veluti demonſtrant Ariſtenætus lib. II. epiſt. 18. Michael Pſellus, Lucianus Dialog. Meretric. Apulejus lib. III. pag. 361. Lælius Poeta: aliique alibi indicati. Hinc Lucano lib. VI. pag. 163. lux accenditur, cum ita de ſaga Teſſala loquitur.

Et ſiccæ pallida rodit
Excrementa manus.

Rurſus.

Illa genæ florem primævo corpore vulſit,
Illa comam læva morienti abſcidit ephebo.

Vidimus autem in Horatio, quod non tantum *ad magiam* humanis cadaveribus eorumque membris & partibus abuſi fuerint, ſed etiam *homines vivos immolaverint*, ut tam *ex partibus*, quam *totis corporibus magiam exercerent*, & pocula amatoria conficerent. Indicat Lucanus in pagina ſupra citata his verbis.

Nec ceſſant a cæde manus, ſi ſanguine vivo
Eſt opus, erumpat jugulo qui primus aperto.
Ipſa facit maneis, hominum mors omnis in
uſu eſt.

Idem Plinius indicare videtur Natural. Hiſtor. lib. XXX. cap. I. de origine Ma-

gicæ

gicæ artis pag. 545. *Extant itaque & apud Italas gentes veſtigia ejus in duodecim tabulis noſtris, aliiſque argumentis, quæ priori volumine expoſui.* D C L V I I. *demum anno urbis, Cn. Cornelio Lentulo, & P. Licinio Craſſo Coſſ.* Senatusconſultum factum eſt, ne homo immolaretur: *palamque in tempus illud ſacra prodigioſa celebrata. Gallias utique poſſedit, & quidem ad noſtram memoriam. Namquè Tiberii Cæſaris principatus ſuſtulit Druidas eorum, & hoc genus vatum Medicorumque. Sed quid ego hæc commemorem* in arte (Magica) *Oceanum quoque tranſgreſſa, & ad naturæ inane pervecta? Britannia hodieque eam attonite celebrat tantis ceremoniis, ut dediſſe Perſis videri poſſit. Adeo iſta toto mundo conſenſere, quanquam diſcordi & ſibi ignoto. Non ſatis æſtimari poteſt, quantum Romanis debeatur, qui ſuſtulere monſtra.* Sic etiam *magus* quidam nominatus Melik Ambar, qui ſub imperio Nizam Sciah regni Daman Principis alter veluti Tigellinus fuit, *ad magiam* aliquando *centenos pueros, & ſervos Diabolo in ſacrificiis ſuis immolare* conſueverat, ne ea gratia & favore, quem apud Principem obtinebat,

deturbaretur; teſte Pietro della Valle Itin. part. v. cap. 23. pag. 110. Et non ſolum cerriti illi magi ad magiam ſuam obeundam homines immolarunt, ſed etiam *per magiam plurimos necarunt*. Evagrius lib. v. cap. 3. Hiſtor. Eccleſ. P. Æmilius lib. VIII. f. 178. Iſigonus, Nymphodorus apud Plinium lib. VII. c. 1. p. 109. illud teſtantur. Unde illuſtrari poteſt Codicis lib. IX. tit. 18. §. 6. Conſtantinus ad populum. *Multi magicis artibus uſi elementa turbare, vitam inſontium labefactare non dubitant.* Quippe *labefactare* ibi eſt vel *mortem* vel *morbum inferre*, quod utrumque magia operari poteſt teſte etiam Lucano lib. V. p. 165.

Et quamvis fecerit omnis
Stella ſenem, medios herbis abrumpimus annos.

Idem Lucanus affirmat lib. VI. de bello Civili pag. 162.

Omne nefas ſuperi prima jam voce precantis
Concedunt, carmenque timent audire ſecundum,
Viventes animas, & adhuc ſua membra regentes
Infodit buſto, fatis debentibus annos
Mors invita ſubit.

Sed dici etiam poſſet, hos, quorum Lu-

ca-

canus meminit, defoſſos, ut ita magiam ſuam operarentur, ſicut, ut ſuprà ex Horatio vidimus, Canidia Venefica eum in finem puerum prætextatum mento tenus terræ infixerat.

Cap. XX.

Magiæ ſpecies, inter quas haruſpicina ſive divinatio, ad quam exercendam uſurpabant hominum immolatorum capita. Halicarnaſſeus tentatur. Explicantur quædam loca S. Scripturæ. Quid fuerit Teraphim? Teleſmata: ejus vocis ſignificatio & uſus; origo & modus componendi. Miræ teleſmatum virtutes. Samothraſii annuli.

MAgiæ autem *variæ* erant *ſpecies*, de quibus conſulantur Nierenbergius in Hiſtor. Natural. pag. 141. Ludovicus Ballester in Onomatographia. Raynoldus prælect. in Apocryphos. Forcatulus JC. & Binſfelſius in commentar. ad tit. c. de Maleficis & Mathem: Delrio lib. IV. cap. 2. qu. 6. ſect. 2. Spondanus de cæmiteriis pag. 321. Peucerus de Divinatione. Sirenius de fato lib. IX. cap. 15. 16. Auguſt. Niphus tract. de au-

auguriis. Alexander ab Alexandro lib. v. cap. 3. Genial. Dier. Cælius Calcagninus tract. de oraculis, aliique. Sed inter omnes magiæ differentias haud infimum ſubſellium habet *Hariolatio*, ſive *Haruſpicina*, quæ definitur *ars divinandi in ſacrificiis*: eſtque quintuplex. *Victimaria*, *Extiſpicina*, *Puromantia*, *Capnomantia* & *Libanomantia*. Haruſpicina autem ſive *ars* illa *divinandi*, & *hariolatio* ab Ethnicis non tantum animalibus irrationalibus, ſed etiam rationalibus, nempe *hominum immolationibus*, & ſanguinis humani profuſionibus *peragebatur*. *Hæc* autem *Haruſpicina* ſive *Divinatio* in Ethniciſmo vel *fiebat per hominum immolatorum partes & viſcera* (quam ſpeciem *Extiſpicinam* vocabimus;) vel *cum toto hominis mactati & conſecrati corpore* (quam *Victimariam* dicemus). Quod ad primam *Hariolationis ſpeciem*, nempe *quæ per partes humani corporis peragebatur*, attinet; *Gentiles* olim *hominum* & *puerorum capita futura prædicendi gratia a corpore truncata uſurpabant*. De *pueri capite* Bodinus lib. II. Dæmon. cap. 3. ubi refert ex ore Domini de Navailles

Ab-

Abbatis & Legati Gallici apud Imperatorem Turcarum, & ex ore Legati Polonici in Gallia, magnum quendam Regem deſiderantem ſcire eventum rerum ſuarum, adhibuiſſe Magum quemdam Monachum Dominicanum; qui miſſa celebrata, & conſecratione facta, *caput pueri decennis primogeniti amputari* juſſit, illudque impoſitum hoſtiæ interrogabat; ſed nihil reſponſi accepiſſe, quam vim patior: inde Regem in furorem incidiſſe, & in eo miſere mortuum. Eadem hiſtoria ex Bodino refert Simon Goulartius in Hiſtor. tom. II. p. 236. Hinc intelligere & illuſtrare potes Theodoritum, cum lib. III. cap. 26. Hiſtor. Eccleſ. dicat. *Antiochiæ vero ajunt multas arcas in regia Iuliani Apoſtatæ refertas humanis capitibus inventas eſſe, multiſque in puteis cadavera humana.* Quæ forte ad magiam adhibuit, ſicut infra de Juliano plenius videbimus. Nam Ethnici perſuaſum ſibi habebant, magos per iſta hominum mactatorum capita mira efficere, & mortem alicui immittere poſſe; teſte Libanio Sophiſta in vita ſua. Μισθῷ μεγάλῳ παρὰ τοῦτον τὸν βασιλέα

ταλέα δραχμῶν, δυοῖν γυναίοιν ἔφη με κεφαλὰς ἀποτέμοντα κεκτῆσθαι. Τῇ μὲν ἐπ' ἐκεῖνον χρώμενον, θατέρᾳ δὲ ἐπὶ τὸν πρεσβύτερον. (Juvenis quidam) *mercede magna ad hunc Principem accurrit, & me duarum mulierculararum capita amputata poſſidere aſſeruit, quarum una in ipſum uterer, altera autem in ſeniorem.* Sed quid jam dicemus de invento *illo Romæ* in rupe Tarpeja recens occiſi hominis *capite, quod & facie vivo erat ſimile, & calido etiamnum recentique ſanguine manabat* (de quo Dionyſius Halicarnaſſeus lib. IV. cap. 65. pag. 247. ſub imperio Regis Tarquinii) quod licet a Romanis magno pro miraculo habitum & Romæ ut capiti imperium in univerſum terrarum Orbem portendere fuerit creditum, *tamen ad magiam ab uno aut altero fuiſſe adhibitum veriſimile eſt.* Ratio autem, ob quam caput humanum ad magiam & divinationes adhibuerint, & Diabolo immolaverint, eſt forſitan, quod Diabolus ſicut reliquis membris, ita etiam capite, adeoque ipſius hominis morte maxime honoretur, gaudeat, & afficiatur, vide Plutarchum de oraculor. defectu pag. 417. *Cum enim in Creta permul-*

multum exegiſſem temporis, cognovi ibi ſacrum peragi abſurdum, in quo etiam ſimulachrum viri capite truncatum oſtendunt, ajuntque hunc fuiſſe Molum Merionis Patrem, qui cum Nympham vi compreſſiſſet abſque capite inventus eſt. Hebræi volunt, teſte Lyrano, quod *Teraphim*, cujus mentio Geneſ. xxxi. verſ. 19. 34, 35. & alibi, etiam fuerit *caput primogeniti alicujus pueri* interfecti, & *ſacrificati Dæmoni*, quod a trunco præciſum ſalſabatur, aromatibus condiebatur, ut diu ſtare poſſet, & ſupra linguam ejus in lamina aurea nomen Dæmonis ponebatur, & ſic reſponſa dabat. Hæc autem Lyrano ſubminiſtravit R. Eliezer in capitulis. Illa Judæorum de *Teraphim* opinio parvi apud me momenti eſt, & vilior mihi videtur, quam ψυχῶν ἴχνη. Igitur non abs re erit, ut occaſione hic data breviter veram hujus vocis originem indagemus. Joſephus idola illa Labani, quæ Rachel Patri ſuffurabatur, quæque nomine Teraphim exprimuntur (de quo Geneſ. xxxi. 19. 34, 35.) nominat τὰς τύπους πατρίους. Genebrardus in Pſalm. 33. & Ravanellus in Bibliotheca

Penates & *Lares* fuiſſe innuunt, a quibus non multum abludere videtur Mercerus. Hieronymus lib. 1. epiſt. 44. f. 47. per *Teraphim*, quod occurrit 1. Samuelis XIX. interpretatur *pulvillum de caprarum pelle conſutum, qui intonſi pilis caput involuti in lectulo hominis mentiretur.* Septuaginta Interpretes in eo Samuelis capite verſ. 13. 16. κενοτάφιον verterunt; Aquila μορφώματα ſive *figuras* & *figurationes*. In Hoſeæ cap. III. 4. per Teraphim idem Hieronymus loco jam citato juxta Theodotium & Symmachum *varia figurationum opera* explicat, ut *veſtes plumaria arte contextas*, juxta quem ſenſum Micha cum veſte ſacerdotali cætera quoque, quæ ad ſacerdotalia pertinerent, per teraphim feciſſe monſtraretur Judicum VII. Aben Eſra, uti allegavit Druſius ἱερώματα appellat. Clariſſimus Schotanus in Biblioth. ad lib. 1. c. 11. Sulpit. Severi probat fuiſſe *ſpecie humana ſimulachra, Deorum cultui adhibita.* Fullerus ex Munſtero obſervat fuiſſe *imagines, juxta quarum inſpectionem idololatræ vel faciebant vel opus omittebant.* Alii affirmant, quod fuerint *imagines partim per*

aſtro-

aſtronomiam, partim per necromantiam facta intentione, reſpectu & obſervatione alicujus temporis, & horæ rei, quam intendebant, convenientis; ſicuti R. Sol. comment. ad. 2 Reg. XVIII. & Oſeam III. 4. Aben Eſra comment. in Geneſ. XXXI. R. Jehuda in lib. Zohar in Geneſ. *quæ imagines reſponſa dabant*; unde Septuaginta Interpretes Hebræam in Hoſea δήλους verterunt, in Sacharia vero τοὺς ἀποφθεγγομένους. Et Hoſ. III. 4. Chaldæus interpres habet *indicans:* quodque Magorum opera loquebantur; & ex iis *futura cognoſcebant* ſcribunt R. Sol. Jarchi loco citato, & R. David Kimchi in 2 Reg. XXIII. 24. Atque hoc *Teraphim* nihil aliud fuiſſe, quam Sabæorum aliorumque populorum *Tilſemat*, probant Hottingerus Hiſtor. Oriental. lib. 1. cap. 8. p. 196. Seldenus part. 1. cap. 2. De Diis Syris. Has imagines Arabes vocant *Tilſemat*, *Taliſman*; Juſtinus Martyr in Reſp. ad Orthodox. τελέσματα; Seldenus Syntag. p. 116. στοιχεῖα; Divinus Scaliger in epiſt. στοιχειώματα; Buxtorphius in Lex. Talm. ἀποτελέσματα; atque hoc *Tileſma* apud Judæos, Arabes,

Perſas, Græcos, Indos, Hæreticos, Mauros, Calabarſos ſignificat in genere *lapidem, gemmam, annulum, laminas, aut quodcunque ſubjectum literis aut verbis myſticis inciſum, quibus efficaciam ineſſe putabant* teſte Hermanno Hugone de ſcribendi origine cap. 29. Clariſſimus Voetius in diſput. de Magia p. 554. affirmat fuiſſe *imagines, quæ ſub certo horoſcopo inſculpi rebus, & conſecrari ſolebant*; harum autem imaginum originem indicat Hottingerus Hiſtor. Oriental. lib. I. cap. 8. p. 189. Leunclavius in Pandectis Turcic. cap. 130. qui eam Apollonio Tyaneo celebri illi mago adſcribunt, de quo Philoſtratus in ejus vita idem teſtatur: *Modum* autem *componendi* deſcripſerunt, Agrippa lib. II. de occulta Philoſophia cap. 22. 36, 37. Cardanus; Gaffarellus in Curioſitatibus inauditis part. I. Hiſtoria Eccleſiarum Slavonicarum lib. I. p. 95. P. Meſſias part. V. Variar. Lection. cap. I. 2. citans Rogerium Leonardum Canoillum, & Tetellum Caclum; Chriſt. Schotanus Hiſtor. Sacr. part. I. p. 14. ex Maimonide Nevochim. Gerſon, Hottingerus

loco

loco citato ex R. Muhammed. Fil. Iſaak. Scaliger in epiſt. p. 377. His *imaginibus* uſi fuerunt, *Sabæi*, *Chaldæi*, *Iudæi*, *Samaritani* & *Perſæ* juxta Gaffarellum loco indicato; apud quem *Perſarum* pōpulum hodie etiam magno in uſu & honore ſunt, teſte Pietro della Valle Itinerar. part. III. cap. 9. p. 43. Hæ autem imagines *Tilſemæ* etiam *annulis incidebantur*, ſicut docet Seldenus parte 1. cap. 2. Stupendæ autem horum *annulorum*, & imaginum *Tilſemarum virtutes* prædicantur; nempe quod *earum auxilio* homo, qui hoc palladium ſecum habet, *nec a ſerpente*, *nec a ſcorpione letaliter feriri poſſit*. Quod Scaliger probat ex Ariſtophane in notis ad Manilium p. 439 & Scholiaſtes Ariſtophanis. Paracelſus in Archid. Mag. lib. 1. & 2. Seldenus de Deis Syr. lib. 1. c. 2. atque adeo, quod *omnes dolores*, κεφαλαλγίαν, *tormina ventris*, imo ipſam *febrem abigere valerent*. Sicut docent Antiphanes in Omphale, Trallianus lib. IX. cap. 4. Maximus Caſaubonus in notis ad Athenæum lib. 3. c. 34. p. 235. Et *Samothracii annuli aurei capite ferreo* nihil aliud erant quam οἱ ἀλεξιφάρμακοι.

τίῤῥοι. Vide Plinium, Iſidorum, & Lucretium.

Exſultare etiam Samothracia ferrea vidi. Ejuſmodi annulorum, & id genus aliorum phylacteriorum meminerunt Cardanus de Varietate Rerum lib. XIII. cap. 63. Q Serenus Samonicus. Philoſtratus de vita Apollon. lib. VI. Sextus Philoſophus Platonicus de medicina ex animal. lib. I. cap. I. 8. 10. Avitus lib. II. reg. 310. Libanius Orat. XIX. pro Saltatore ad Ariſtidem. Marcellus Empyricus cap. 9. Iſidorus Peluſiota lib. II. epiſt. 150. Decreta Gelaſii P. P. I. Concilium Toletanum XVII. cap. 21. Harmenopuli epitomen Canon. ſect. V. titul. 3. Theod. Balſamo P. P. Antioch. in Synod. VI. in Trull. Canon 61. Leges Neap. lib. II. tit. 45. Cap. 5. tit. 2. Capitul. VI. tit. 72. Additamentum Ludovici II. titul. 18. Jacobus Gretſerus Commentar. lib. II. cap. 6. in Codini cap. 5. Sigebertus Gemblacenſis. Myrepſus. Leonardus Fucſius. Trallianus lib. IX. cap. 4. Gregorius Magnus lib. V. epiſt. 6. Garſ. Loaiſa ad Concilium Toleta-

letanum p. 333. aliique. His Tilſemanis imaginibus operantibus; *aqua urbem inundare nequivit*; Elmacinus Hiſtor. Arab. p. 21. *avis anea clamavit*; Author Chronolog. Samaritanæ c. XLVI. *canis ex metallo conflatus latravit*; Jacobus Juſtus in explicatione Chorographica Num. 908. *ingens moloſſus clavem e manu ejecit, cum navis ad illum appelleretur*, Ibn. Chalican, citante Hottingero libro & cap. ſæpius jam indicato. Clemens autem Alexandrinus lib. III. Pædagog. cap. II. meminit *annulorum fatidicorum*, qui ſonitu quædam prædicere poterant. Nec hoc mirum, cum quidam *Diabolum annulo incluſum* ſecum circumgeſtaverint. Hiſtor. Eccleſ. Slavonicar. lib. I. cap. 13. p. 95. Bodinus in Præfatione Dæmonomaniæ: hujuſmodi forte hoſpite etiam inſeſſus fuit annulus ille, quo, præſente Imperatore Veſpaſiano, *Eleazarus Iudæus dæmonium ex hominis naribus extraxit.* Teſte Fr. Perreaud. in Dæmonol. cap. 12. ex Joſepho. Ejuſmodi *annulus* fuit *ille*, quem Otho Friderici Ænobarbi filius Venetorum Duci (cum ab illis pro Alexandro Ter-

tio,

tio, Pontifice Romano *pugnantibus* captus eſſet) dedit his adjectis verbis: *Authoritate mea hoc annulo fretus Oceanum tibi ſubjicies, & quotannis tibi poſteriſque eo die, quo hanc victoriam obtinuiſti, deſpondebis mare, ut ſciant omnes maris tibi dominium conceſſum, &c.* Hinc hodie etiamnum Veneti per annulum in undas quotannis ſolenniter conjectum mare ſibi deſpondent: vide de hoc Villamontium lib. 1. Peregrinat. cap. 34. & Sabellicum Decad. 1. lib. VII. Et quid dicemus de illa ſuperſtitione, qua Angliæ Reges olim die Paraſcevæ Paſchalis annulos conſecrare ſolebant? Velut ſcribunt Polydorus Vergilius lib. VIII. Hiſtor. Hoſpinianus de feſtis Chriſtianor. menſis Aprilis fol. 61. Et ſicut Albertus Magnus *ſtatuam triginta annis elaboratam*, ita Papa Sylveſter Secundus, & Rogerus Bacon Minorita, atque Robertus Lincolmenſis *capita ænea habuerunt, quæ oracula redderent, & futura prædicerent;* quos priores a magiæ ſuſpicione purgant Seldenus in Prælegom. Gabriel Naudæus Pariſienſis apolog. de pluſieurs illuſtres; contra ejuſmodi vero matheſin præmonet

net Nobiliſſ. Pleſſiaci Dominus in myſter. iniquit. & Rivetus part. II. ſelect. 36. Sed hæc obiter de *Teraphim* & *Teleſmatibus*.

Cap. XXI.

Viſcera humana immolatorum captivorum & puerorum adhibita ad hariolationes & extiſpicinam. Philoſtratus illuſtratur. Cicero illuſtratur. Illuminatur Juvenalis & Nazianzenus. Billii error. Sozomenus tentatur. Homines toti immolabantur ad auguria captanda. Zonaras explicatur. Pueri & infantes ad hoc mactati. Lucanus illuſtratur & explicatur. Florus tentatur. Livius & Tertullianus illuſtrantur. Totus homo immolatus per transſfoſſionem, ſubmerſionem, & ignem. Procopius explicatur, & 2 Regum XVII. *capitis verſus* 17. *per flagellationem augurandi ritus. Variæ Divinationum ſpecies & ritus. Lampridius a correctione Casauboni vindicatus. Geneſis* XLIV. *cap. verſus* 5. *Vetus Theologus, Lactantius, & quædam Concilia illuſtrantur.*

SEd exorbitantem calamum in viam ſibi præfixam reducamus. Non tantum hominum immolatorum capita, ſed præcipue etiam *viſcera humana hario-*

violationibus ſuis pagani deſtinaverunt, quibus exſtiſpicinam facientes *futura ominarentur.* Docet Porphyrius lib. II. de Abſt. οὐκοῦν ὁ τοιοῦτος ἀναιρείτω καὶ τοὺς ἀνθρώπους; ἐπιφαίνεται γὰρ μᾶλλον, ὥς φασι, τοῖς τούτου σπλάγχνοις τὰ μέλλοντα. Καὶ πολλοί γε τῶν βαρβάρων δι' ἀνθρώπους σπλαγχνεύοντες. *Numquid & ipſe homines interficiet? nam futurorum prænotionem magis ex hominum viſceribus deprehendi ajunt, quam aliorum. Multi enim barbari e viſceribus humanis futura rimantur.* Nam *Monæ inſulæ incolæ captivos* aris feralibus admovebant, & *eorum fibris Deos de futuris conſulebant.* De illis ita Tacitus Annal. lib. XIV. *Præſidium poſthac impoſitum vicis, exciſique luci ſævis ſuperſtitionibus ſacri. Nam cruore captivo adolere aras, & hominum fibris conſulere Deos fas habebant.* Similiter quoque *Cimbri* antiqui *ex Captivorum* extis victoriam interpretabantur, & *auguria captabant*; ſicut docet Strabo lib. VII. Geograph. Sic *Tartari* etiam *ex humanis extis* & viſceribus antiquitus *de futuris eventibus conjectare ſolebant*, ut teſtatur Cromerus lib. VIII. his verbis. *Poloni Tartaros anno Christi* MCCXL. *ad Legnicam commiſſo prælio graviter urgebant,*

&

& fugientibus inſtabant. *Erat in extremo Tartarorum agmine inter alia ſigna vexillum inſigne, cujus pictura X litteræ figuram præ ſe ferebat; in cuſpide vero figura erat tetra nigraque capitis humani barbati. Id vexillum cum ſignifer vehementius quateret, fumum atque nebulam denſiſſimam & fœdiſſimam exhalabat. Ea nebula non modo adſpectum Barbarorum Polonis adimebat, verum etiam odore teterrimo eos enecabat.* Incantationibus id quibuſdam Tartari effecerant, quibus juxtaque hariolationibus divinationibuſque cæteris quum alias, tum in bello plurimum utuntur, ex humanis etiam extis de futuris eventibus conjectare ſoliti. *Barbari ubi Polonos trepidare ſenſerunt, cohortati ſe invicem impreſſionem in eos faciunt, perturbatiſque ordinibus magnam cædem ediderunt. Tantus eo prælio interfectorum Chriſtianorum numerus fuit, ut ſingulis ſingulæ auriculæ a Tartaris præciſæ novem ingentes ſaccos explerint.* Sed *ad exſtiſpicinam pueri* etiam ut plurimum *immolabantur*. Sic Domitianus Cæſar celebrem illum Magum Apollonium Tyaneum inſimulavit, quod in magicis ſuis ſacris *puerum immolaſſet*, apud Philoſtratum lib. VII.

cap.

cap. 2. *Cum tu Apolloni die quadam domo egreſſus in agrum veniſti* τίνι ἐνθύσω τὸν παῖδα *cuinam ut ſacrificares puerum mactaſti?* Rurſus apud eundem Philoſtratum lib. VII. cap. 10. φάσιν ἐς ἀγρὸν βαδίσαντέ σε παρὰ Νερύαν, τεμεῖν αὐτῷ παῖδα Ἀρκάδα, θυομένῳ γε ἐπὶ τὸν βασιλέα, καὶ ἐπᾶραι αὐτὸν τοῖς ἱεροῖς τούτοις. *Dicunt enim Te cum Nerva in agrum exeuntem mactatum Arcadem puerum in fruſta concidiſſe, atque in Regis perniciem ſacrificaſſe, atque hoc ſacrificio Nervam ad opinionem regni extuliſſe. Hunc* autem *puerum* vaticinandi, futura prædicendi, & *extiſpicii gratia immolatum fuiſſe* volebant, teſte Philoſtrato lib. VII. cap. 5. φασὶ δ' ὡς παῖδα θύσαις ὑπὲρ μαντικῆς, ἣν τὰ νεαρὰ τῶν σπλάγχνων φαίνει. *Sed vaticinandi cauſa mactatum abs Te puerum dicit, ut ex novis extis futura melius dignoſceres.* Quæ verba priora duo Philoſtrati loca valde illuſtrant. Eandem maculam gloriæ ſuæ affricuit Menelaus Græcorum Dux, de quo Herodotus lib. II. pag. 130. *Cum* (Menelaus ex Ægypto) *proficiſci conaretur, nec per ventos poſſet, idque jam diu, rem nefariam excogitavit. Sumptis enim duobus puris, quorundam indigenarum filiis, exſe-*

ctiſ-

ctiſque haruſpicinam fecit. Nempe ut per viſcera eorum animadverteret, quamdiu ipſi adhuc in Ægypto eſſet hærendum. Hic nefarius ritus *divinandi & magiam exercendi ex extis puerorum* a Græcis etiam ad Romanos Orbis Dominos tranſmigravit. Ita etiam explicari poſſunt verba Ciceronis in Oratione ad Vatinium pag. 58. *Ut cum inaudita, & nefaria ſacra ſuſceperis, cum inferorum animas elicere, cum puerorum extis Deos manes mactare ſoleas.* Quo de loco ſupra cap. XIX. p.306. Hinc illuſtratur Juvenalis Satyr. VI. pag. 54.

Armenius vel Commagenus Aruſpex
Pectora pullorum rimatur, & exta catelli,
Interdum & pueri.

Vidimus igitur ex Juvenale, & ejus ætate hoc infanticidium & exſtiſpicium apud Romanos nondum æruginem contraxiſſe & obſoleviſſe. *Maxentius* Tyrannus eodem piaculo ſe contaminavit. Teſtatur id Euſebius Eccleſ. Hiſtor. lib. VIII. cap. 15. pag. 99. *Contulit ſe* (Maxentius) *magicis ſtudiis ad incantationem, & jam mulieres prægnantes diſcidit, jam infantum recens natorum viſcera inquiſivit, leones occidit, & ar-*

arcano quodam modo Dæmone advocavit, bellumque inſtans amoliri conatus eſt. Et Johann. Zonaras in imperio Conſtantini Magni. Ὀψὲ δὲ πότε ἀντιπαρετάξατο, γοητείαις κεχρημένος, καὶ δὲ ἀνατομῆς βρεφῶν μαντευόμενος. *Sed tandem* (Maxentius Tyrannus) *educit exercitum, præſtigiis quibuſdam uſus, & præter alia nefanda, ex infantium diſſectione captatis auguriis, &c.* An arma nempe, quæ contra Conſtantinum induerat, proſperum ſortirentur eventum? Nullus autem æque ac Imperator *Iulianus Apoſtata* magiæ, divinationum, & extiſpicinarum dialis flamen his *puerulorum diſſectionibus* & immolationibus ſummo ſuo Principi Diabolo operam dedit, & inſervivit. Quippe Divus Gregorius Nazianzenus Orat. 1. in Julianum refert, *pueros & virgines ad animarum evocationem* (ἐπὶ τῇ ψυχαγωγίᾳ) *ab eo diſſectos*; quod Billius in notis ad Nazianzenum num. 92. vertit *inciſos*; ut notet ἐντομίδας *inciſiones*, quas idololatræ genis & brachiis inferebant, de qualibus 1 Reg. 18. Levitic. 19. & 21. Sed tranſlationem illam, qua humanarum victimarum mactatio ad extiſpicinam intelli-

gi-

gitur, Raynoldus amplectitur & illuſtrat in Apocryph. Lect. 76. ex Theodoriti Hiſtor. Eccleſ. lib. III. cap. 22. Xiphilino in Juliano. Adde Heraldum ad Tertull. Apologet. pag. 105. Et quid hac de re, Billiique errore ambigere poſſumus? cum Theodoritus loco ſupra citato p. 321. in Juliani palatio poſt ejus ex hac vita deceſſum, multos puteos cadaveribus refertos eſſe inventos commemoret. Hæc ſua ſacra aliquando in profundis & horrore ſqualentibus, atque ſilentibus montium receſſibus, & oraculorum adytis obivit atque exſecutus eſt. Ita forte capi poteſt Sozomenus lib. v. cap. 2. pag. 471. *Nunciatum eſt mihi præterea, quod cum forte in adyta quædam celeberrima, eaque terribilia maxime, ſeu myſterii cujuſdam obeundi, ſeu oraculi conſulendi cauſa* (Julianus) *deſcendiſſet.* Cauſam autem horribilium ejus immolationum tibi indicat Dion in Juliano lib. LXXIV. p. 846. *Complures etiam pueros occidit, cauſa magicarum artium, ita ut ſi forte quod futurum erat præcognoviſſet, id poſſet avertere.* Et ſicuti Regis ad exemplum totus componitur or-

bis, ita in hunc furorem Juliani temporibus omnes gentiles maxime effuſi ſunt. Docet Socrates Hiſtor. Eccleſ. lib. III. cap. II. *Eodem tempore* (Juliano regnante) *gentiles in Chriſtianos violenter inſultare, qui ſe Philoſophos prædicabant, frequentes concurſare, neſanda quædam myſteria obire: pueros, qui nondum ex ephebis exceſſerant, tum maſculos, tum fœminas, quo exta eorum inſpicerent, mactare, atque illorum carnes degustare cœperunt.* Sic etiam in aliis locis *ut necatis pueris deſpicatisque ob fibrarum inſpectionem virginibus* exſecranda hæc *flagitia gerebantur*; ſunt verba Ruffini Eccleſ. Hiſtor. lib. II. cap. 24. Hactenus egimus de Haruſpicina per corporis humani partes, & extiſpicia immolatorum peracta. Jam tempus poſtulat, ut *victimariam* (quam ita craſſa Minerva vocamus) aggrediamur, qua non per corporis humani partes, ſed *integros homines Diabolo* conſecratos atque mactatos *auguria captabant*, & futura vaticinabantur. Licet autem non inficias eam, quædam infra citata loca ad exſtiſpicinam trahi poſſe, tamen cum Authores illi ejus non expreſſam

ſam iniiciant mentionem, magis veriſimile eſt, illos iis in locis haruſpicinam ſive hariolationem intelligere, quæ cum toto & integro homine fiebat. Ad hoc vero etiam *pueros immolabant*, ſicut de Heliogabalo his diris hariolationis myſteriis inquinato Johann. Zonaras tom. II. de Avito Pſeudantonino ſive Heliogabalo, ſic explicari poteſt. Καὶ ὐ μόνον βαρβαρικὰς ᾠδὰς ἅμα τῇ μητρὶ καὶ τῇ τήθῃ τῷ ξένῳ θεῷ αὐτῦ ἦδε καὶ ἀποῤῥύτους προσῆγε θυσίας, παῖδας σφαγιάζων, καὶ γοητεύμασι χρώμενος, καὶ περιάπτοις μυρίοις ἑκάστοτε. *Neque vero barbaricas duntaxat cantilenas cum matre & avia peregrino Deo cantabat, & nefandas hoſtias immolabat, pueros ſacrificando, & præſtigiis utendo, & ſexcenta amuleta ſubinde appendendo.* Imo proh dolor! Diabolica multorum inſania arctos immolationis puerorum cancellos indignata eo ſcelerum barathro ſe immerſit, ut parturientem partui vicinarum ventrem & uterum diſſecare, *embryoneſque* & *infantes* nondum natos inde per vim extrahere, atque ipſos ante ipſam lucem viſam *occidere* non erubuerint, *quo futura augurari*, & horribiles ſuas hariola-

tiones & myſteria rite perficere *poſſent*. Teſtatur Ammianus lib. XXIX. *Acceſſerat hoc quoque eodem tempore ad Valentis cæteras laudes: quod cum in aliis ita ſævierit infeſte, ut pœnarum moras ægre ferret finiri cum morte, Pollentianum Tribunum malitia quemdam exſuperantem, iiſdemque diebus convictum confeſſumque, quod exſecto vivæ mulieris ventre, atque intempeſtivo partu extracto, inferniſque manibus excitis de permutatione imperii conſulere auſus eſt: familiaritatis ejus intuitu ordine omni muſſante abire juſſit illæſum.* Hinc Lucanus intelligitur lib. VI. pag. 163.

Vulnere ſi ventris, non qua natura vocabat,
Extrahitur partus calidis ponendus in aris.

Rurſus pag. 167. de Theſſala ſaga S. Pompeio futura prædicente loquens.

Hic quicquid fætu genuit natura ſiniſtro
Miſcetur. (ſcilicet ad divinationem)

Per quæ verba *partus immaturi ad divinationes exercendas exſecti* & adhibiti intelligi poſſunt. Forſitan etiam huc trahi poteſt immane *Thracum* ſcelus, quo, ut Florus lib. III. cap. 4. auctor eſt, *partus gravidarum extorſerunt tormentis*: forte ut ex illis *hariolarentur*, quomodo bellum ipſis ſuccederet.

ret. Nam & ſupra Florus dixerat, quod *ſanguine humano Deis litare* conſueverint. Adeo autem Diabolus tenellorum infantium vitæ inſidiatur, tantamque eis inimicitiam juravit, ut ſagis & crudelibus quibuſdam fæminis perſuaſerit, optimum & aptiſſimum magiæ litandi, & hariolandi, divinandique unguentum ex infantium carne confici; unde octo quædam furioſæ iſtæ mulieres in hunc uſum centum & quadraginta; aliæ quadraginta; aliæ innumeros infantes recens in lucem editos ſe interfeciſſe confeſſæ ſunt. Vide Sprengerum apud Strozzium Cigogna part. I. lib. IV. c. 4. Et non ſolum pueri, infantes, & embryones, ſed etiam homines *pueritiæ annos prætergreſſi ad hariolationes* rite adminiſtrandas olim *immolabantur*, ex quorum immolatione auguria captabant. De *Germanis* eum in finem homines mactantibus ita ſcribit & teſtatur Tacitus in Germania pag. 649. *Stato tempore in ſylvam auguriis patrum & priſca formidine ſacram omnes ejuſdem ſanguinis populi legationibus coeunt, cæſoque publice homine, celebrant*

Barbari ritûs horrenda primordia. Eſt & alia luco reverentia. De *Romanis* ab exteris dementatis T. Livius lib. xxxix. pag. 856. qui ita explicari poteſt. *Stupra promiſcua ingenuorum fæminarumque erant, ſed falſi teſtes, falſa ſigna, teſtimoniaque & judicia ex eadem officina exibant. Venena indidem,* inteſtinæque cædes, *ita ut ne corpora quidem interdum ad ſepulturam extarent.* Et p. 858. *Nihil ibi facinoris, nihil flagitii prætermiſſum. Plura virorum inter ſe, quam fæminarum eſſe ſtupra. Si qui minus patientes dedecoris ſint, & pigriores ad facinus,* pro Victimis immolari, nihil nefas ducere. *Raptos a Diis homines dici, quos machina illigatos ex conſpectu in abditos ſpecus abripiant. Eos eſſe, qui aut conjurare, aut ſociari facinoribus, aut ſtuprum pati noluerint.* Paulo poſt. *Viros velut mente capta cum* jactatione fanatica corporis vaticinari, *matronas Baccharum habitu crinibus paſſis cum ardentibus facibus decurrere ad Tiberim: demiſſaſque in aquam faces, qua vivum ſulphur cum calce inſit, integra flamma efferre.* Hanc horrendam bacchantium hiſtoriam, immolationem & furorem Semelæ in luco in Bacchi honorem per-

petratum innuere videtur Tertullianus Apolog. p. 819. *Licet Baccho jam Italica furias veſtras immolaritis.* Quod ſi ita ſit, hæc duo Livii & Tertulliani loca multam ſibi invicem lucem ſuppeditant. Nam Tertullianus *per furias*, illas *bacchas* & *furioſas faminas* intelligere videtur, quæ una cum ſceleratis & furentibus viris. poſtquam multos homines in Semelæ luco immolaſſent, a Romanis ſcelere poſtea aperto interfectæ, & forſitan Baccho immolatæ ſunt, de quibus Livius. Sed tamen hic unicuique ſuam opinionem relinquere volo. *Hac* autem *immolatio* & *haruſpicina*, ſive hariolatio *per totum humanum corpus variis fiebat modis.* Quippe *Getæ hominem in ſublime vibratum in tria jacula a tribus hominibus tenta coniiciebant, qui ſi impræſentiarum exſtinguebatur; propitium ſibi Deum arbitrabantur.* Herodotus Melpomene lib. IV. pag. 249. *Albani* apud Caucaſum, cum Sacerdos hominem ad victimam deſtinatum haſta tranſfixiſſet, *ex labantis* & corruentis *modo concipiebant vaticinium.* Audiatur Strabo Geograph. lib. XI. pag. 113. *Qui plurimum Numine correptus, ſolus per*

ſylvas errat; hunc Sacerdos comprehenſum ſacra catena devincit, per annum ſumptuoſe alens, poſtea ad Deæ ſacrificium cum aliis hoſtiis mactandum producit. Sacrificii ritus eſt hujuſmodi. Quidam hujus negotii gnarus ſacram haſtam tenens, qua mos eſt hominem mactari, atque ex multitudine procedens eam in cor per latus urget: illo cadente quædam divinationis ſigna captant, atque in commune proferunt, tum corpore in locum quemdam delato, id omnes ſupergrediuntur hujuſmodi piaculo utentes. Verum enim vero *Sueci homines* in ſacrificium adhibitos *in aquas devolvebant*, & *ita ex ipſorum ſubmerſione proſpera* ſibi vel *infauſta prædicebant.* Albertus Krantzius in præfatione libri primi Sueciæ. *Nobiliſſima gens Suecorum templum habuit, quod Vpſala dicitur: Sedes hodie metropolitana regni ibi perdurat, non longe a civitatibus Sictona & Birca. In hoc templo (quod totum fulgebat ex auro) ſtatuas trium venerabantur Deorum, antequam Chriſto crederent.* Et paulo poſt. *Arbor juxta templum ſtabat ingens, patulis diffuſa ramis, æſtate & hyeme juxta virens, genus ejus nemo potuit edicere.* Fons ſcaturivit ad locum Sacrificiorum; Sacrificaturi hominem hic im-

immerſere vivum, ſi facile mergeretur, fauſtum renunciavere votum. *Aurea catena fertur cinxiſſe templum ad mœniana, domuſque faſtigia ſuſpenſa, late rutilans acceſſuris. Nam templum in planitie ſitum montibus ambitur.* Hactenus Krantzius. Idem Olaus Magnus lib. III. cap. 7. teſtatur. *Galli* autem antiqui eidem ſuperſtitioni cruentæ inhærebant; Nam *Hominem* κατασπείσαντες *immolantes ſuper tranſverſum pectoris ſeptum enſe feriunt: quo cæſo prolapſoque,* ἐκ τῆς πλώσεως καὶ τοῦ σπαραγμοῦ τῶν μελῶν ἔτι καὶ τῆς τοῦ αἵματος ῥύσεως, *tum e caſu & convulſione membrorum, tum e cruoris fluxu, quid eventurum ſit præſagiunt. Et ex longa vetuſtatis obſervatione hoc apud eos fidem invenit*, ſunt verba Diodori Siculi lib. V. pag. 308. *Franci* forſitan ob hanc quoque cauſam Gothorum fœminas *& pueros in aquas conjecerunt*, ut ex ipſorum ſubmerſione belli ſucceſſum & eventum augurarentur. De iis Procopius in Hiſtoria Gotthica lib. II. in hunc modum verba facit. *Franci ponte inſeſſo, quos ibi repererant Gotthorum pueros fœminaſque interficiunt, corporaque amni dant, primitias belli. Quippe Barbari illi quanquam Chriſtianum*

in nomen tranſgreſſi, multa retinent priſtini moris, hoſtiiſque utentes humanis, & aliis ſacrilegiis potius, quam ſacris, inde captant præſagia. Mea de *ſubmerſione hac Francorum* confirmatur opinio ſupra dicta, quod ex *hoſtiis humanis* illos *præſagia* & auguria *captaſſe* dicit Author. Ex his præcedentibus ritibus de *vaticiniis ex hominum per ferrum & aquas immolatione captatis*, lumen ſubminiſtrari poteſt verſui 17. capitis XVII. 2 Reg. *Præterea tranſmiſerunt filios ſuos & filias ſuas per ignem, & uſi erant divinationibus, & conjectores fuerant.* Sive hic mera traductio, ſive totalis combuſtio intelligatur, de quibus alibi, hoc ex contextu verborumque ſenſu patere videtur, quod propterea *Iſraelitarum liberi per ignem traducti fuerunt*, ut *parentes ex filiorum geſtibus* media in flamma formatis, *futura divinarent*, & conjecturam caperent. Eum enim in finem & *Galli homines flagellis lacerare* ſolebant. De quibus Strabo lib. IV. p. 360. *Nam hominem divinationi deſtinatum in tergo ferientes, ex ipſo impatientiæ affligendique modo vaticinium capiebant.* Et non ſolum ex necatis, diſſectis, & flagel-

la-

latis, ſed etiam *ex mortuis* ad vitam revocatis,& *ſanis*,integris,& vegetis hominibus& *pueris* per magiam vaticinia capiebant, atque *futura præſagiebant*. Quod jam *mortuos* concernit; magis & ſagis jubentibus, & dæmonibus ſine dubio operantibus eorum *cadavera* vitæ redonata *futura prædicebant*. Inſpice Lucanum de bello Civili pag. 162. ubi loquitur de cadavere, quod juſſu Teſſalæ ſagæ Sexto Pompejo vaticinatur.

Perverſa funera pompa
Rettulit a tumulis: fugere cadavera letum.

Paulo poſt. pag. 165.

Sed pronum cum tanta novæ ſit copia mortis,
Ematiis unum campis attollere corpus,
Ut *modo* defuncti, *tepidique* cadaveris ora
Plena voce ſonent, *ne membris ſole peruſtis*
Auribus incertum feralis ſtrideat umbra.
Dixerat; & noctis geminatis arte tenebris,
Mæſtum tecta caput: ſqualenti nube pererrat
Corpora cæſorum tumulis projecta negatis.
Continuo fugere lupi, fugere revulſis
Unguibus impaſtæ volucres, dum Theſſala vatem

Eligit, & gelidas letho ſcrutata medullas
Pulmonis rigidi ſtantes ſine vulnere fibras
Invenit, & vocem defuncto in corpore quærit.

Rurſus.

Electum tandem trajecto gutture corpus
Ducit, & inſerto laqueis feralibus unco
Per ſcopulos miſerum trahitur, per ſaxa cadaver.

Et pag. 167.

Pectora tunc primum ferventi ſanguine ſupplet
Vulneribus laxata novis, taboque medullas
Abluit, & virus large lunare miniſtrat.

Forſitan etiam veneficæ & magi ad divinationes illis cadaveribus abuſi fuerunt, quorum meminerunt Porphyrius lib. II. Livius lib. XXXIV. pag. 856. Lucanus lib VI. pag. 163. de quibus ſupra in capite decimo nono p. 310. egimus. Per *homines* autem & *pueros vivos*, integros & ſanos variis modis *magiam & divinationes antiquitus Gentiles exercebant*, videlicet per κατοπτρομαντείαν ſive *imagines*, vel *in ſpeculis*, vel *in aqua redditas*; de quo Delrio lib IV. Diſquiſit. Magic. cap. 2. quæſt. 6. ſect. 2. Speciem autem *per puerum in*

aqua

aqua divinandi habet Apulejus in Apologia pag.289. Bellum vero puerum *elegiſtis quem quis* ſacrificio adhibeat, *cujus caput contingat, quem puro pallio amiciat, a quo reſponſum ſperet.* In eadem Apologia. *Memini apud* Varronem *tum hoc etiam legere: Trallibus de eventu Mithridatici belli magica percunctatione conſulentibus puerum in aqua ſimulachrum Mercurii contemplantem, quæ futura eſſent* CLX. *verſibus cecini*ſſ*e. Itemque Fabium, cum quinquaginta denarios perdidiſſet, ad Nigidium conſultum veniſſe, ab eo pueros carmine inſtructos indicaſſe, ubi locorum defoſſa eſſet crumena.* Sic etiam Andronicus Imperator, ut loquitur Nicetas Choniates, *ſe totum permiſit iis, qui futura ex aquis quaſi per caliginem conjiciunt, & imagines futurarum rerum velut ex umbra ſolarium radiorum conſectantur.* Ergo dæmones interrogantur, quis poſt Andronicum ſit imperaturus? Malus genius in aquis literam Sigma primum, deinde jota exhibuit. Hanc ſpeciem ὑδρομαντίαν vocat, ejuſque octo modos recenſet Delrio l. IV. Diſquiſit. Magicar. cap. 2. quæſt. 6. ſect. 2. Hos modos & videre potes apud Leonem Africa-

num lib. III. deſcript: Africæ. In vita D. Bernardini Senenſis apud Glycam & Pſellum citatos a Stroſſio Cigogna de Magia lib. III. cap. 6. pag. 360. Quos omnes modos hic non prolixe deſcribemus, ne longius extra oleas vagemur. Alter *modus per puerum hariolandi ſpeculi* fiebat, quem κατοπτρομαντείαν appellant. Ælius Spartianus in Didio Juliano pag. 92. reg. 30. id docet. *Nam & quaſdam* non convenientes Romanis ſacris hoſtias immolaverunt, *& ea quæ ad ſpeculum dicunt fieri: in quo* pueri *præligatis oculis* incantato vertice reſpicere *dicuntur, Iulianus fecit. Tuncque puer vidiſſe dicitur & adventum Severi & Iuliani deceſſionem.* Incomparabilis Caſaubonus pro *reſpicere vel proſpicere* corrigit. Sed, quod cum pace tanti Viri dixerim, nullam video cauſam, ob quam codicibus contrariantibus pro *reſpicere* hic corrigendum ſit *res proſpicere.* Nam ut & ex Spartiano & infra ex Peucero diſcimus & colligimus, puero illi, qui ad Divinationem adhibebatur, vertex incantabatur, quo facto *circumſpiciebat*, ut Peucerus ait, id eſt *reſpiciebat*, ſicut Spartianus dicit, &

ita

ita futura prædicebat. Quæ opinio confirmari poteſt ex Concilio Antiſſiodorenſi, forte ad hanc conſuetudinem alludente, cum dicitur cap. 4. *Non licet ad auguria reſpicere.* Quod ſi ita, ſicut diximus, ſit, hæc duo Spartiani & Concilii Antiſſiodorenſis loca inter ſe collata multam ſibi invicem lucem præbent. Huic ſecundo augurandi & futura prædicendi modo tertius addendus eſt, quo *procurante* & incantato *puero* non ſolum *per* aquam & ſpeculum ſeparatim, ſed ſimul per *ſpecula & aquam in cyathis, pelvibus, vitreiſque & pellucidis vaſis natantem hariolabantur.* Caſparus Peucerus de Magia pag. 155. *Statuebantur vaſa vitrea, rotunda, aquis conferta limpidiſſimis, & circum collocabantur accenſi cerei, cumque evocatio dæmonis occulto murmure abſoluta, & quæſtio recitata eſſet, adhibebatur puer impollutus, aut mulier prægnans, quæ vitra accurate diligenterque intueretur ac circumſpiceret, rogaretque, imperaret, & flagitaret reſponſa. Ea tandem imaginibus, quæ per terſam politamque ſpeculorum ſuperficiem ex aquis quadam* διακλάσει *refulgebant, Diabolus exprimebat. Fuit autem, & eſt nunc* quo-

quoque alicubi apud prophanos uſitata valde; τῶν ἀδιαφθόρων παίδων ἐπόπτευσις. Hoc etiam in *vaſe teſtaceo* factum fuiſſe ab Hilarione Monacho teſtatur Menologium Græcorum; nempe *juſſiſſe eum aqua impleri teſtaceum vaſculum, in quo bibebat, & poni in manu cujuſdam Italici, qui in aqua pure adſpexit ſtabulum, equos, & aurigas ſuos ligatos præſtigiis adverſariorum. Qua poſtea aqua cum equos ligatos adſperſiſſet, addita crucis figura, ab eo tempore victoria ad Italicum tranſiit.* Eandem hiſtoriam deſcriptam quoque invenies apud Hieronymum in vita Hilarionis fol. 226. qui tamen non inſpectationis ſed adſperſionis tantum meminit. Sic etiam Julius Serenus lib. IX. de fato cap. 18. ſcripſit: *Aſſyrios, Chaldæos, & Ægyptios pelves aquis replere ſolitos, in quibus argenteas laminas, lapideſque pretioſos certis characteribus ſignatos ponebant, & quibuſdam verbis pronunciatis Dæmonem advocabant, qui vocem inſtar ſibili in aquis edebat, reſponſa reddens de iis, de quibus interrogabatur.* Sunt nonnulli qui exiſtimant, Regium Joſephi Procuratorem in Ægypto ſibi perſuaſum habuiſſe, quod Dominus ſuus per *ſcyphum* illum,

lum, quem Benjamini ſacco furtim impoſuerant, *futura præſciret* & prædiceret, vel certe illum ita finxiſſe invidiæ augendæ cauſa, cum ea ars per *ſcyphos divinandi* apud Ægyptios admodum frequens eſſet. Quam ſuam opinionem ex illis verbis Geneſ. XLIV. v. 5. probant. *Nonne ille eſt* ſcyphus, *in quo ſolet Dominus meus bibere? & nonne ipſe experimento certo didicerit per illum quales ſitis?* juxta verſionem Junii & Tremellii; juxta alios: *inquirens inquirere ſolet per id*; ſecundum R. Jonam. *Et ipſe conſulturus eſſet* (ariolos) *augures propter hoc*. Præcedentem hanc mitiorem ſententiam amplectuntur Mercerus & Calvinus in Commentar. ad illum locum; licet Raſi exiſtimet *re ipſa Ioſephum hoc poculum ad divinationes adhibuiſſe.* Sed genuinam hujus loci explicationem vide apud Celeberrimum & Illuſtriſſimum Rivetum ad Geneſ. comment. Non multum ab his vaticiniorum ſpeciebus diſcrepat factum illud *Iamblichi*, quo *admurmuratis paucis verbulis ex fonte* limpidiſſimo *duos puerulos per magiam excivit*; de quo Eunapius Sardianus de vitis Philoſoph. in vita Jamblichi, ex in-

interpret. Hadriani Junii. Hos tres præcedentes augurandi & hariolandi modos exprimit, & quartum adjungit Johannes Saliſberienſis de veſtigiis Philoſophorum lib. 1. cap. 12. *Specularios vocant, qui in corporibus levigatis & terſis, ut ſunt lucidi enſes, cyathi, ſpeculorumque diverſa genera, divinantes, curioſis conſultationibus ſatisfaciunt.* Hinc facile interpretari potes cujuſdam Veteris Theologi verba in Homilia Sacra Gennadio Maſſilienſi, & Marcialis Epiſcopi Lemovicenſis epiſtolis affixa pag. 51. *Auguria, & in pueris divinationes, & ligaturas feminæ, incantationes, potiones, unde partum abortivum faciunt.* Item Lactantius de Divino Præmio lib. VII. cap. 15. p. 421. hinc intelligitur. *Hydaſpes Medorum Rex ſub interpretatione vaticinantis pueri ad memoriam poſteris tradidit, ſublatum iri ex orbe imperium, nomenque Romanum.* Diverſi plane generis θαυματουργίαι διὰ κατόπτρων ſunt illæ, quarum meminit Johannes Grammaticus Commentar. primo. in Ariſtotelis Philoſophi Meteorologica. Longe alia divinatio & hariolatio apud antiquæ *Germaniæ populos*, aliaſque gentes in uſu erat,

erat, quam verbis Taciti ad punctum exſcriptis ex libello de moribus Germanorum cap. x. pag. 635. tibi exhibet Adamus Bremenſis Narrat. Hiſtor. Eccleſ. cap. 6. *Auſpicia & ſortes quam maxime obſervavant. Sortium conſuetudo ſimplex erat: virgam frugiferæ arbori deciſam in ſurculos amputabant, eoſque notis quibuſdam diſcretos ſuper candidam veſtem temere ac fortuito ſpargebant. Mox ſi publica fuit conſultatio, Sacerdos populi, ſi privata, ipſe Paterfamilias precatus Deos, cælumque ſuſpiciens ter ſingulos tulit, ſublatos ſecundum impreſſam ante notam interpretatus eſt.* Quo etiam pertinere videntur, quæ ſtatuta ſunt in Concil. Antiſſiod. cap. 4. *Non licet ad ſortilegos, aut auguria reſpicere, nec ad characteres, quos vocant Sanctorum, vel quos de ligno aut de pane faciunt adſpicere.* Adde Concil. Aurel. cap 32. Lateranenſe tertium ſub Leone. Arab. Maur. Pœnitent. cap. 23. ex Concilio Agathenſ. De ritu hoc ab aliis populis frequentato Lindenbrogius in Gloſſario ad Codicem Legum Antiquarum. *Antiquus in ſortibus ducendis mos ex virgis præciſis vaticinari, idque paſſim apud Paganos uſitatum.* Vide inſuper Scho-

Scholiaſten Nicandri in Theriacis ad illum verſum. *Καὶ μυρίκης λάζοιο νέον. Μάγοι καὶ Σκύθαι μυρικίνῳ μαντεύονται ξύλῳ. Καὶ γὰρ ἐν πολλοῖς τόποις ῥάβδοις μαντεύονται.* Adde his, quæ Lindenbrogius ad Ammianum Marcellinum annotavit. Majores etiam noſtri *Friſii* inter Laubachum & Fleum poſiti *per ſortilegium* hoc, ſive ſortes, *homicidam & homicidium explorabant*: quem ritum prolixe deſcribit Leg. Friſionum titulus XIV. parag. 1, 2. pag. 18, 19. ex editione Sibrandi Siccama. Hinc formulæ illæ loquendi ſunt natæ: *ad ſortem poni*; Pactum Childeberti §. 5. *ad ſortem ambulare*; ibidem §. 8. *ad ſortem venire*; Decret. Chlotovei §. 8. *ad ignem ſeu ad ſortem ſe excuſare*; Leg. Ripuariorum tit. XXXI. §. 5. Adi præterea de homicidii aliorumque facinorum purgatione & exploratione Bignonium ad form. Speculum Saxoniæ lib. 1. artic. 63. Cætera divinationum genera lubens prætereo, ne actum agam, cum ab aliis ante me ſint eruta & deſcripta.

CAP.

Cap. XXI.

Quem in finem pueros immolaverint Iudæi, Hæretici ſcelus hoc antiquis Chriſtianis impactum ab Ethnicis. Cauſa calumniæ hujus; Chriſtianorum convivia ἀγάπαι, nocturnæ congregationes, & ſacra baptiſmi. Chriſtiani non edebant ſanguinem, nec morticinam, nec idolis oblata. Illuſtratur Theodorus. Gregorius Turonenſis corrigitur & illuſtratur. Sanguinem & ſemen humanum libabat Simon Magus. Illuſtratur. Cap. XIII. *verſus* I. *Lucæ.*

ET licet Flavius Joſephus lib. II. contra Appionem populares ſuos defendat, & dicat falſo illis ab Appione affingi, quod *ſingulis annis certo tempore Iudæi hominem Græcum mactare* & ſacrificare aſſueverint, tamen toti orbi innotuit, quod maledicta hæc gens poſterioribus temporibus *in crudeliſſima* innocentium *puerorum immolatione & crucifixione*, dolendam Chriſti paſſionem & ſanguinantia vulnera per ludibrium aliquoties refricuerit, *ut hæc abominanda ſacrificia ipſis ſacramentum forent*, quo odium ſuum internecinum contra Chriſtianos depromerent, & proderent,

&

& ipſi inter ſe arctius conciliarentur. De iis Judæorum furoribus & infanticidiis Socrates Hiſtor. Eccleſ. lib. VII. cap. 16. p. 313. *Crucem etiam, eoſque qui in Crucifixum ſpem ponunt, habere ludibrio* (Judæi cæperunt): *& propterea tale quoddam facinus moliri. Puerum ſcilicet Chriſtianum comprehendere, cruci alligare, in ſublime ſuſpendere. Quo facto primum irriſione illudere, cachinnos in eum tollere; poſt paulo inſania correpti, illum uſque eo verberibus cædere aggrediuntur, quoad præ cruciatu vitam amittit.* Eandem hiſtoriam narrat etiam Nicephorus lib. XIV. cap. 16. Michael Ritius lib. II. Hiſtoriar. Franc. de Judæis idem docet. *Philippus Adeodatus, acceptis a Patre regiis inſignibus adhuc adoleſcens omnibus exemplis uſus eſt in* Judæos judicio convictos, Chriſtianum puerum quotannis immolare ſolitos. *Quumque ſub ejus principatu Iudæi Chriſtiani generis hominem ſpinis coronatum, crucis patibulo ſuffixiſſent apud Brajum, muliere, quæ tunc oppido potiebatur, empta muneribus, ut rem diſſimularet, eo Philippus agmine raptim ducto Iudæos octoginta, quot in ejus poteſtate venerant, aliis in fugam conjectis,*

jectis, excitato rogo, vivos cremavit. Hactenus Ritius. Sed ut diſtinctius de his Judæorum immolationibus agam, annos, quibus acciderunt, apponam. Annis igitur CDXV. MIXLVI. MILXXI. MCCXXXVI. MCCXLIX. MCCLXI. MCCLXXXII. MIILXXXVIII. MCCXL. MCCXLVIII. MCDLXXV. MCCCCXLIV. in Judæa, Hiſpania, Gallia, ſive Francia, Anglia, Bojaria & Ungaria lactentes *infantes* & teneros *puerulos*, ſpinis coronatos, eliſis faucibus, reſeratis omnibus venis, lateribus lancea perfoſſis, & carne aciculis pungentibus perforata inter exquiſitiſſima tormenta *Iudæi* nefarie *immolarunt*. Conſule Annales Baronii, Chronologiam Calviſii, Martyrologium Mellini, Thomam Patriarcham Barbarrenſem l. III. Fortal. Aventinum Annal. Bojorum lib. VII. Annal. Arragoniæ. Annal. Sylv. P. Æmilium, lib. V. f. 116. B. Hiſtor. Horum autem puerulorum ſanguine in linteo mundo excepto, cum morti vicini animam agerent, ſe oblinere conſueverunt his adjectis verbis. *Siquidem Ieſus ſit verus Meſſias, ſanguis hujus innocentis, qui in fide Chriſti mor-*

mortuus eſt, proſit tibi in vitam æternam. Veluti teſtantur Michael Neander in tract. de rebus Judaicis. Abrahamus Mellinus in Martyr. Belgar: Inter alios autem *hunc* etiam horrendarum harum *immolationum ſcopum* habuere, ut, ſicut ſupra dixi, *cruoribus puerulorum sanguine temperatus eorum animos inter ſe invicem arcte conſtringeret*: ſicuti docet Bonfinus l. IV. decad. 5. de reliquis finibus vide Dialogum noſtrum feſtivum de Anna & Cajapha ex orco fugitivus pag. 41. *Gnoſtici* etiam (quos Michael Pſellus γνωσοῖς vocat, pro quo Gaulminus editor Pſelli γνωστικοῖς corrigit,) licet Chriſtum ore profiterentur, tamen tam procul a Chriſtianiſmo degenerarunt, ut quam proxime Judæos & Ethnicos accedentes *pueros* quoque tenellos *Diabolo immolare* non abhorruerint, *ut hoc veluti ſacramento cum Dæmonibus fœdus inirent*, Chriſtianam religionem abjurarent, & liberum infernalibus ſpectris ad ſe aditum patefacerent. *Gnoſtici* igitur *hi coibant inſimul occiduo tempore ejus diei, quo Chriſtus cruci eſt ſuffixus: aderant puellæ, cum quibus peractis ſacris, luminibuſque exſtinctis,*

con-

congrediebantur, ne ſororum ibi, nec filiarum ulla omnino ratione habita. Moris vero erat, ut locum repeterent eundem nono menſe poſt, natoſque ex infando concubitu infantes a matribus convellerent: eorum mox corporibus diſſectis crudeliſſime, profluentem inde cruorem phialis excipientes. Illis autem concrematis, cineres cruori permiſcebant, quo poſtmodum epulas condirent & pocula. Faciebant vero iſta, opinati ſic maxime Divinum, qui nobis ineſt, characterem, quoque imprimis retro agantur dæmonia, oblini expungique, atque inde dæmonibus aditum pateſcere prorſus liberum & impavidum. Sunt verba Cælii Rhodigini Lect. Antiquar. lib. 11. cap. 16. pag. 79. Mutuatus autem eſt hæc ex Epiphanio contra hæreſ. lib. 1. cap. 26. pag. 39. 40, 41. qui addit, quod *tenellum fœtum in quodam mortario piſtillis contundere, mel & piper aliaque condimenta ad avertendam nauſeam admiſcere, & deinde ita devorare conſueverint.* In hoc certe ad unguem antiquos *Sabæos* imitati fuiſſe videntur, qui *infantem* recens natum *Diis* ſuis *mactare* ſolebant, *quem verberibus contundebant*, uſque dum eſſet comminutus. Poſtea *caro*

ejus ſumpta *commiſcebatur farinæ ſimilagineæ, croco, ſpicæ, cariophyllis, placentæque parvæ fici inſtar inde pinſebantur*, & *in furno novo coquebantur*, *quæ Miſtagogis* (populo Myſteriorum) *Sammaelis cedebant* per totum annum. De eo autem nec mulier, nec ſervus, nec filius ancillæ, neque obſeſſus vel inſanus edebant: ſicut ex Maimonide refert Hottingerus lib. 1. cap. 8. Orient. Hiſtor. pag. 181. Eodem, quo Gnoſtici, modo *Hæretici Cataphryges*, *Pepuziani*, *Quintilliani*, *de infantis* anniculi *ſanguine*, quem de toto ejus corpore minutis punctionum vulneribus extorſerant, *Euchariſtiam ad modum ſacramenti Sacræ cœnæ temperabant*, *panemque ex ſanguine illo cum farina conglobato conficiebant*, quibus ex tormentis nonnunquam infantes animam exhalarunt; ſicuti teſtantur Auguſtinus de Hæreſ. cap. 26. & 27. Nicephorus Calliſtus lib. 11. Eccleſ. Hiſtor. cap. 14. Origines in Epiſt. Pauli ad Romanos cap. 2. pag. 311. Juſtinus Martyr in Apologia 11 pro Chriſtianis pag. 94. Philaſtrius pag. 18. Irenæus de Hæreſ. 27. Suffridus Petri in Commen-

mentar: ad Athenagoræ apologiam pro Chriſtianis pag. 106. Wowerius in Notis p. 158. Apollonius Eccleſiaſticus Scriptor apud Euſebium Hiſtor. Eccleſ. lib. v. cap. 16. Contra *Cataphryges* Imperator Conſtantinus Magnus edictum promulgavit, in quo appellantur *veritatis inimici*, hoſtes vitæ, internecionis authores *& conſiliarii*, quorum *ſcelera adeo grandia, adeo immenſa, adeo etiam turpia & omni crudelitate redundantia eſſent, ut dies integer ad explicanda ea non ſufficeret*, ut loquitur Euſebius de vita Conſtantini lib. III. cap. 62. pag. 157. Propterea autem eos *hoſtes vitæ & internecionis authores* Conſtantinus vocat, quia *in myſteriis ſuis homines mactare* conſueverunt, quapropter etiam eis templa ademit juxta Sozomenum Hiſtor. Eccleſ. lib. II. cap. 30. pag. 439. *Simonis Magi diſcipulos & ſectatores idem ſcelus in pueros & fæminas perpetraſſe* forſitan Euſebius in Hiſtoria Eccleſiaſtica lib. II. cap. 13. pag. 20. his verbis innuit. *Sunt autem illis adhuc magis infanda ſecreta, quibus eum qui primo audiat, conſternatum reddi dicunt, & ſcriptum apud ipſos*

oraculum quoddam eſſe, quod ſtuporem inducat. Re vera ſunt iſta ſtuporis, ecſtaſeos, & inſaniæ plena, ita ut non modo ſcripturæ tradi nequeant, ſed ne labiis quidem hæc ſolum propter turpitudinis & obſcænitatis excellentiam a pudicis viris proferri poſſint. Quicquid enim quavis turpitudine ſceleſtius excogitari poteſt, hoc totum ſceleſtiſſima eorum hæreſis ſuperavit, qui miſeris & re vera omnis generis malis cumulatis mulierculis illudunt. Sic Sabellicus Hiſtor. Enn. IX. lib. VII. etiam commemorat, quod temporibus Bonifacii Octavi Pontificis Romani hæreſis quædam prodierit, cujus ſectatores *fraterculi* nominabantur, qui *de nocte ſua myſteria celebrabant*, ad quæ *viri fœminæque* promiſcue magno numero confluebant; quibus a *Sacerdote* poſt Eccleſiaſticas ceremonias, & invocationem Spiritus finitam, candelaſque exſtinctas *promiſcua & indiſcreta corporum & carnis commixtio mandabatur*, unde *horrendo ſtupro, adulterio, & inceſto* tam *viri* quam *feminæ*, tam viduæ, quam maritatæ & puellæ *contaminabantur. Cum Sacerdos eſſet eligendus, in ſpelunca ſubterranea ætera ſibi invicem per circulum applicabant, &*

pue-

puerulum ex fœda illa commixtione natum in manus ſibi invicem coniiciebant, cujus vero in manibus ita circumrotatus animam efflabat, illi Sacerdotio deſtinabatur. Hi Hæretici Chriſtiani nominis & religionis ſpurii & ſpinthriæ ſuis infantium immolationibus, & feralibus ſacris ſpecioſo *ſacramenti Synaxeos nomine* ceruſſatis, calumniandi anſam Ethnicis dederunt, quod omnes promiſcue Chriſtianos horum ſcelerum reos agerent, & perſtringerent, illoſque diris his ſacris & *hoſtiis* tanquam *ſacramento inter ſe fœderari* pro certo haberent. Videatur Minucius Felix in Octavio pag. 20. *Plebem profanæ conjurationis inſtituunt, quæ nocturnis congregationibus, & jejuniis ſolemnibus, & inhumanis cibis, ſed piaculo fœderantur.* Rurſus: *Quaſi Chriſtiani monſtra colerent, infantes vorarent, convivia inceſta miſcerent, nec intelligebamus ab his fabulas iſtas ſemper ventilari, & nunquam vel inveſtigari, vel probari.* Iterum idem Minucius Felix in Octavio pag. 23. *Iam de initiandis tirunculis fabula tam deteſtanda quam nota eſt. Infans farre contectus, ut decipiat incautos, apponitur ei, qui ſacris imbu-*

 atur.

atur. Is infans a tirunculo farris ſuperficie quaſi ad innoxios ictus provocato cæcis occultiſque vulneribus occiditur: hujus proh nefas! ſitienter ſanguinem lambunt, hujus certatim membra diſpertiunt, hac fœderantur hoſtia, *hac conſcientia ſceleris ad ſilentium mutuum pignerantur.* Hoc crimen omnibus promiſcue Chriſtianis impoſitum fuiſſe ab Ethnicis ſcribunt Athenagoras Apolog. pro Chriſtianis pag. 6. Salvianus de gubernatione Dei lib. IV. pag. 138. Theophylus ad Autolycum lib. III. p. 266. aliique; hinc Tertullianus Apolog. cap. VII. *Dicimur ſceleratiſſimi* de ſacramento infanticidii, *& pabulo inde, & poſt convivium inceſto &c.* Unde etiam Tatianus contra Græcos pag. 286. *Quid lædimus vos o Græci! Apud nos non invenitur* ἀνθρωποφαγία *hominum voratio, falſi teſtes hoc crimine contra nos confictio deprehenſi eſtis. Apud vos autem Pelops Deorum epulis apponitur, & amatus Neptuno Puer, & Saturnus filios, Iupiter Metin* καταπίνει *devorat.* Adde Franciſcum Balduinum in notis ad Plinii Epiſt. 98. pag. 385. Per accidens autem his Ethnicorum calumniis & mendaciis Chriſtia-

no nomini afflictis etiam cauſam & pabulum ſubminiſtraſſe videntur *convivia poſt ſumptam Euchariſtiam* clauſis foribus *in Eccleſiis, & privatis ædibus* una *a Chriſtianis celebrari ſolita*, quæ a dilectione ἀγάπας dixerunt. De quibus *publicis peculationibus* Clemens Conſt. Apoſtolorum lib. II. cap. 28. Corpus Canon. part. I. diſtinct. XLII. cap. 3. Concilium Gangrenſe cap. II. Oecumenius in epiſt. Judæ cap. 2. Epitome S. Canonum tit. III. pag. 40. Photius Nomocan. tit. V. cap. 12. Burchardus Wormacienſis Epiſcopus lib. III. Decretal. cap. 83. Concilium Laodicenum cap. XXVIII. Concilium Carthaginienſe III. cap. 30. Concilium Africanum cap. IX. Concilium Antiſiodorenſe cap. IX. Aliique. De *privatis* vero *cœnationibus* fuſe, Clemens Alexandrinus Pædagog. lib. II. cap. 4. multique alii. Et *nocturnæ*, quas Chriſtiani celebrabant, *congregationes, jejunia* & *vigiliæ haud parum ponderis ad* hæc prædicta *mendacia Gentilium attulere*; de quibus Iſidorus Hiſpalenſis de Officiis Eccleſiaſticis lib. I. cap. 22. Cyprianus de orat. Concilium Aquis

granenſe I. cap. 130. Concilium Oxonienſe II. cap. 15. Rabanus Maurus de inſtitut. Clericorum lib. II. cap. 9. Alcimus Avitus de prima feſti rogatione inſtitut: pag. 337. Concilium Antiſiodorenſe cap. 12. Aldhelmus de laud: virginitatis pag. 444. Theodulphus Aurelienſis Epiſcopus in epiſt. ad Parochos. Concilium Matiſconenſe I. cap. 9. Synodus Turonica cap. 18. Calixtus P. P. Epiſtol. ad Benedict. Epiſc. tom. I. Concil. pag. 10. Cyrillus in Levit. lib. x. pag. 731. interprete Trapezuntio; aliique. Et quid dicemus de febriculoſis *Papatus* jam erumpentis *fabellis?* nempe ſicut Paſcalius fabulatur, *quod Preſbyter in Alemannia viſibiliter ſpeciem pueri in altari contrectaverit, & poſt libata oſcula in panis ſimilitudine converſum eccleſiaſtico more ſumpſerit.* Ejuſdem commatis & farinæ eſt hiſtoria *de puero Iudaico, qui in Eccleſiam cum æquævo Chriſtiano ludibunde ingreſſus vidit puerum membratim diſcerpi, & viritim populo dividi*, de quo Author Continuat. Hiſtor. Anglorum lib. III. cap. 27. pag. 344. Hæ fabellæ, & τῶν γραῶν,

μύ-

μῦθοι ſicut a Pontificiis tranſſubſtantiationi ſuæ in cœna Domini formandæ & firmandæ ſubſtructæ ſunt, ita etiam, ut credibile eſt, tam Judæis quam Ethnicis os in immenſum aperierunt, ut ejuſmodi mendaciis Chriſtianos onerarent, eos in congregationibus ſuis pueros immolare & devorare; a quo ſcelere tantum *Chriſtiani* antiqui abſuerunt, & abhorruerunt, ut nec *ſanguinem ullius animalis deguſtare fas habuerint*. Sicut docent Author lib. de fide ad Petrum Diaconum cap. 42. pag. 43. Concilium Bracarenſe 1. cap. 14. Martinus Bracarenſis Epiſcopus in excerptis capit. ex Græcor. Synod. tom. 11. Concil. cap. 59. p. 226. Blandina apud Euſebium Eccleſ: Hiſtor. lib. v. cap. 1. Tertullianus Apolog. cap. 9. aliique. Et ſicut veteres *Chriſtiani morticinam reſpuerunt*. Clemens lib. vi. in Conſtitut. Apoſtol. cap. 12. Chryſoſtomus in cap. xv. Act. Apoſtol. Concilium Aurelianenſe 11. cap. 20. Concilium Wormacienſe c. LXIV. Burchardus Wormacienſis Epiſcopus Decret. lib. XIX. cap. 85. ex Pœnitentiali Theodor. Beda de reme-

diis peccatorum cap. 4. Beatus Rhenanus in not. in cap. IX. Apolog. Tertull. Caſſiodorus Hiſtor. Tripartita lib. 1. cap. 10. *quam* tamen *ciborum diſcretionem reprobarunt*; Quadratus Epiſcopus & diſcipulus Apoſtolorum, Eleutherius P. P. ex Beda Martyrolog. pag. 419. Spiridion Cypriorum Epiſcopus apud Sozomenum lib. 1. cap. 11. Eccleſiaſt. Hiſtor. Eleutherius P.P. in Epiſt. ad Galliæ Provincias tom. 1. Primaſius Afer in epiſt. ad Hebræos cap. 12. Caſſiodorus Hiſtoria tripartita lib. 1. cap. 10. Gregorius Nyſſenus Orat. 2. in hominis Procreationem; Sedulius in Collect. Epiſt. Pauli ad Titum l. 1. Vigilius P. P. Epiſtol. ad Eleutherium cap. 2. tom. 11. Athanaſius in Epiſt. ad Ammon Monachum. Concil. Coloniæ editum per Johannem Quentel p. 92. Ita etiam, *quod idolis eſſet oblatum comedere maximum piaculum* eſſe *ducebant*. Videantur Concilium Agathenſe cap. 40. Concilium Veneticum cap. 12. Concilium Ancyranum cap. 4. Concilium Aurelianenſe 11. cap. 19. & Quartum cap. 20. Concilium

Eli-

Eliberitanum cap. 40. Gangrenſe cap. 11. Heymo Halberſtatenſis Epiſcopus in Epiſt. Pauli ad Corrinth. 1. cap. 10. Irenæus adverſus Hæreſes lib. 1. cap. 1. Leo P. P. in epiſtola ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum tom. 1. Concil. p. 709. cap. XVII. & cap. V. tom. 1. Concil. pag. 691. Pœnitentiale Romanum tit. VII. cap. 24. Chryſoſtomus in epiſt. Pauli ad Corinth. 1. cap. 8. aliique. Unde etiam Chriſtianorum *hoſtes cibos* ad vitam neceſſarios *victimarum profanarum ſanguine miſceri* ac ſic publice venum exponi mandarunt, ut neceſſitate coacti Chriſtiani ſe ita per idololyta fœdarent & impurarent. Hinc apud Nectarium in Homilia in Theodorum Martyrem juſſurum ſe minatur; μηδὲν ἕτερον προβληθῆναι, πλὴν βρωμάτων καὶ πομάτων αἵματι τῶν θυσιῶν μεμιγμένων. *Præter cibos potuſque victimarum mixtos ſanguine.* Et de *Iuliano* quoque *Imperatore* queritur Theodorus: ὁ γὰρ δυσσεβέστατος Ἰουλιανὸς μιαρῷ τῆς τῶν θυσίας αἵματι πάντα κατεμίανεν. *Vere impius Iulianus ille, fœdo victimarum, quæ idolis conſecratæ ſunt, ſanguine omnia fœdavit, & impiavit.* Sed de his

his ſatis; in viam redeamus. *Manichæos* etiam *ſanguinem humanum cum ſacrificiis miſcuiſſe* innuere videtur Gregorius Turonenſis lib. 1. cap. 24. Hiſtoriar. Francorum: *Quem* (Pilatum) *Manichæum fuiſſe multi putant, ſecundum illud quod in Evangelio legitur. Venerunt quidam de Galilæis, nunciantes ei, quorum ſanguinem miſcuit Pilatus cum ſacrificiis eorum.* Si hic locus non ſit corruptus, neſcio quid ſibi velit Gregorius Turonenſis. *Pilatum Manichæum* facere, ridiculum καὶ παγγέλοιον eſt; cum Manichæorum ſecta longo poſt intervallo & temporibus demum Imperatoris Galieni in lucem prodierit, ſicut teſtatur Epiphanius in lib. de menſuris & ponder; pag. 613. a quo Euſebius non multum diſcrepat lib. VII. cap. 30. pag. 91. Hiſtor. Eccleſ. Sed forſitan dicere vult Gregorius Turonenſis, quod ſicuti Manichæi poſterioribus temporibus ſacrificia ſua ſanguine humano diluerunt, ita etiam antea Pilatum Galilæorum ſacra humano ſanguine conſceleraſſe. Sed nuſquam me legiſſe memini, Manichæos hac labe & noxa adſperſos fuiſſe; imo a

ſan-

ſanguinis humani profuſione alieniſſimos fuiſſe veriſimile eſt, cum Pythagoræ doctrina de animarum tranſmigratione ex uno corpore in aliud fuerint imbuti, & propterea ab omni animalium eſu abſtinuerint; veluti Epiphanius de Hæreſibus tom. II. lib. II. cap. 66. pag. 312. & Auguſtinus tom. VI. lib. XXXII. cap. 13. pag. 335. docent. Sed quantum conjectare poſſum, lapſus eſt memoria Turonenſis, & cum forte legiſſet *Gnoſticos*, *Cataphryges*, *Pepuzianos*, & *Quintillianos* ſuam euchariſtiam pueruli ſanguine miſcuiſſe, lapſu memoriæ illud Manichæis adſcripſit. Reſtituendum igitur eſt pro Manichæum, aut *Cataphrygem*, aut *Gnoſticum*, aut *Pepuſianum*, aut *Quintillianum*, qui Hæretici, ſicut ſupra vidimus, nefando hoc ſcelere ſe polluerunt, & ita eo ſenſu, quo ante dixi, hæc verba explicari poſſunt. Quid? ſi dicamus, Gregorium Turonenſem *Magaum* ſcripſiſſe, pro quo Notarius vel librarius, cum non intelligeret, quid Gregorius vellet, Manichæum poſuit. Nam ſicut diſcipuli Manichæi ex ipſius nomine Mani-

chæi, a Valentino Valentiniani olim ſunt appellati, ita etiam dici poteſt, a Simone Mago ejus ſectatores *Magos* dici quire. Hic autem *Simon Magus ſacrificia ex menſtruo mulierum ſanguine, & ſemine virili*, (quod Juvenalis etiam *ſanguinem* vocat Satyr. 1. vers. 43. pag. 2.) commixta & *confecta Patri univerſorum*, ut vocabat, *offerre inſtituit*, quod diſcipuli ejus notiori vocabulo *Simoniani* vocati, atque adeo *Gnoſtici* imitati ſunt. Vide Epiphanium contra Hæreſ. tom. 11. lib. 1. pag. 27. & cap. 26. pag. 39. 40. &c. Et *horrenda atque neſanda ſacra apud hos Simonis Magi diſcipulos in uſu fuiſſe* demonſtrat etiam Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib. 11. cap. 13. pag. 20. *Sunt autem*, inquit, *adhuc magis infanda ſecreta, quibus eum, qui primo audiat, conſternatum reddi dicunt*. Pilatum autem etiam Simonis Magi inſtitutis afflatum fuiſſe eique faviſſe veriſimile eſt, cum & ipſi Cæſares Romani eum in pretio habuiſſe ferantur, & ei Claudius Imperator etiam ob mira, quæ per magiam operabatur, ſtatuam ad fluenta Tiberis inter duos pontes erexerit, cum hac

inſcriptione: *Simoni Deo Sancto*, ſicut innuunt Euſebius lib. 11. cap. 13. pag. 19. Eccleſiaſt. Hiſtor. & Irenæus lib. 1. T. 46. cap. 20. contra Hæreſ. Ad hunc Simonem Magum reſpexiſſe videtur Gregorius Turonenſis, cum dicit, *quod multi opinati fuerint, Pilatum Manichæum* (corrige *Machæum* vel *Magæum*) *fuiſſe*; cum Simon Magus & Pilatus eodem tempore vixerint, cujus *Simonis cruenta ſacrificia* (quibus Gnoſticis ſacra ſua ex ſanguine & carne recens nati infantis conficientibus præluſiſſe videtur) *Pilatus* ex verbis Gregorii Turonenſis *imitatus eſt*, cum, ſicut Lucas in Evangelio c. XIII. ver. 1. ſcribit, τὸ αἷμα ἔμιξε μετὰ τῶν θυσιῶν αὐτῶν. *Galilæorum ſanguinem miſcuit cum ſacrificiis eorum*, vel ſicut Cyrillus loquitur. οὓς ἔσφαξε Πιλάτος μεταξὺ θυόντων, *quos ſacrificantes mactavit* (*immolavit*) Pilatus; Euthymius etiam idem ſcribit, *quod, cum quodam tempore* (Galilæi) *eſſent congregati, & ſacrificarent, ubi hoc Pilatus audivit, ira fervens milites in eos miſerit, ipſiſque mactatis ſanguinem eorum ſacrificiis eorum miſcuerit*. Atque hæc dicta ſufficiant ad explicationem loci Gre-

gr

gorii Turonenſis, in quo nihil decernens unicuique lectori liberum judicandi & ſentiendi, quicquid libuerit, arbitrium relinquo. Quinam autem hi fuerint *Galilæi a Pilato* immolati, docent ſummus vir Daniel Heinſius in Exercitat: Sacris cap. XII. pag. 137. Theophylactus ad caput XIII. Lucæ. Titus Boſtrenſis ad idem caput. Athanaſius Epiſcopus Nic. quæſt. 67.

Cap. XXII.

Deo ſe obſtringebant Iſraelitæ litatione ſanguinis in circumciſione. Illuſtratur Horatius & Perſius. Diabolo ſanguinem ſuum per circumciſionem libabant olim varii populi. Herodotus illuſtratur; ejus error. Marcionitæ hæretici circumciſi.

VUlgo jactatur proverbium, quod ubi Deus templum, Diabolus ibi altare habeat. Hoc tam in aliis rebus, quam præcipue *in Circumciſione* patet, quam Deus populo ſuo mandavit & injunxit, *ut eſſet ſacramentum fœderis* ipſis *cum Deo initi*, & ſolenne votum

&

& obligatio, qua ſe Deo obſecuturos pollicebantur. Geneſ. XVII. 9, 10, 11, 14. Roman. IV. 11. & 11. 25. Galat. V. 3. imo ut eſſet *ſignum, quo a reliquis gentibus diſcernerentur*; ita de Abrahamo primo circumciſionis poſt Deum authore. Cl. Marius Victor Geneſis lib. III. canit.

Hoc tamen a reliquis juſſus diſcernere ſigno
Ebræam gentem populis, ut ſponte reſecta
Carne ſupervacua ſe circumcidat; & omnem
Maſculei ſexus præſentemque atque futuram.

Hinc Arbiter in Satyr. pag. 74: *Circumcide nos, ut Iudæi videamur.* Hinc intelligitur Horatius, qui *Iudæos curtos* appellat. Sermon. lib. I. Satyr. 9.

Hodie triceſima ſabbatha. vin' tu
Curtis Iudæis oppedere?

Ad hoc Scholiaſtes Acron; *curtis, quia pellicula imminuti ſunt; quia Moſes Rex Iudæorum, cujus legibus reguntur negligentia medicinalis effectus, & ne ſolus eſſet notabilis, omnes circumcidi voluit.* Mirare quæſo hominis illius Ethnici deliria & nugas. Idem Horatius propterea *Iudæum apellam* vocat. Serm. I.

Credat Iudæus apella.

Acron;

Acron; *quaſi eſt ſine pelle, aut certe, quia præputium non habet.* Hinc etiam explicatur Perſius, eos nomine *recutitorum* perſtringens Satyr. 5. Et Martialis Satyrice & nequiter ita eorum circumciſionem innuit lib. VII. Epigram. pag. 185.

Sed quæ de Solymis venit peruſtis
Damnatam modo mentulam tributis.

De hac Iſraelitarum & Judæorum præputii circumciſione vide, ſi vacat, Ralbag Judæum, Aben Eſdram, Lyranum, Calvinum, omnes in Commentar. ad Geneſin cap. XVII. Rivetum, Gerſonem, Theodoretum, Iſidorum Peluſiotam, Diodorum Siculum, Euſebium Rubertum, Cajetanum, Lipomanum, Abulenſem, Vatablum, Pererium, Cornelium, ab Oleaſtro, Salianum, Raſi, alioſque citatos a Clariſſimo Schotano in Bibliotheca ad lib. I. cap. 21. Sulpitii Severi pag. 51. Longe ab hoc Dei inſtituto deflexerunt illi Judæi, qui in Abaſia utrique maxillæ ſignum candenti ferro inuſtum habent, ſicut Chriſtiani ibi habitantes crucem eo modo fronti impreſſam gerunt, teſte M. Paulo Veneto

in deſcript: Orient. lib. III. cap. 43. pag. 95. cum quo conſentit Leo ab Aitzema de bell. Belg. Hiſtor. lib. XXXI. *Diabolus* autem Dei Simius & perſonatus atque cothurnatus mimus *ſuis* etiam *miniſtris perſuaſit*, non tantum, *ut ſibi præputium*, ſed etiam ipſa *præciderent genitalia, quæ ſanguinis & carnis ſuæ Diabolo oblatæ* victimatione & *libatione, veluti ſacramento ſe Infernalis Principis miniſteriis*, obſequiis, & *imperio ſubjacere* demonſtrarent. Ita *Ægyptii* forte primi ex Ethnicis *circumciſionem amplexi ſunt* juxta Herodotum lib. II. pag. 125. & Ambroſium infra citatum. Diodorus autem Siculus l. I. Biblioth. p. 15. Strabo Geograph. lib. XVII. & Celſus apud Originem lib. I. authores ſunt, quod *Iudæi ab Ægyptiis* hoc *ſacramentum* adoptarunt & *acceperunt*; quod falſiſſimum eſſe & Biblia Sacra clamant, & ex eo patet, quod Ægyptii etiam puellas circumciderint, quod inuſitatum apud Judæos; ſed veriſimile eſt, *Ægyptios* hunc *ritum ab Iſraelitis didiciſſe*, ſicut opinatur Epiphanius hæreſ. 30. Theodoretus in Geneſ. quæſt. 68. & Clemens Alexandri-

drinus lib. 1. Recognit. qui ſcribit, *quoſdam ex poſteris Abrahami, qui apud Arabiam conſederant, Ægyptios hac conſuetudine donaſſe.* Hi autem *Ægyptii decimo quarto ætatis anno utrumque ſexum circumcidere ſolebant, cum jam ætas pubeſcere inciperet, & menſtrua exordium caperent* juxta Ambroſium de Patriarcha Abrahamo lib. 11. cap. 11. Herodotus autem lib. 11. pag. 125. dicit, quod *Ægyptii cum Colchis, & Æthiopibus ab initio ſtatim pudenda circumciderint.* Si ibi *per initium* intelligat *ætatis principium*; neſcio, quomodo cum Ambroſio conciliari poteſt, niſi Herodotus adoleſcentiam & juventutem ætatis initium vocaverit. Sed ſi Herodotus initium temporis innuat, quo Ægyptios Ethnicorum primos liberos ſuos circumcidiſſe velit, non valde illi reluctabor. Hanc autem *Circumciſionem Ægyptii* obſervabant, *quia neque magici carminis ſapientiam, nec Geometriam, nec Aſtronomiam* (quibus unice ſtudebant & intenti erant) *vim ſuam obtinere ſine circumciſionis ſignaculo judicabant,* ſicut loquitur idem Ambroſius epiſt. 77. ad Conſtantium. Sed Herodotus id *illos*

mun-

munditiæ gratia feciſſe aſſerit lib. II. Euterp. pag. 102. *Idumæi, Ammonitæ, & Moabitæ, atque Saraceni* Judææ Palæſtinæque confines nationes in hoc *Iſraelitas imitati fuiſſe* leguntur apud Hieronymum in Commentar. ad cap. IX. verſ. ult. Jeremiæ. Quo ex loco Prophetæ author libri Aruch colligit, poſt mortem Joſephi *Ægyptios, Edomitas, & Ammonitas ritum hunc abrogaſſe*, & *præputium rurſus attraxiſſe*; quod ut τὸ δόγμα & mendacium & ſuis μυθοποιοῖς dignum ſatis refellunt Hieronymus loco ſupra citato, & Cunæus lib. III. de Republica Hebræorum cap. 5. *Phœnices* & *Syros*, qui ſunt in Palæſtina, *ab Ægyptiis circumciſionem didiciſſe* vult Herodotus lib. II. p. 125. cap. 36. Si *reliquos Syros* innuat, Herodoto non uſque adeo refragari volo (cum ἐξεταστὴς καὶ δοκιμαστὴς πικρὸς haberi nolim) licet magis veriſimile ſit, quod *hanc conſuetudinem ab Hebræis acceperint*: ſed ſi Herodotus ipſos Judæos in Palæſtina, qui & ſub Syris & Phœnicibus antiquitus comprehenſi fuerunt, verbis ſuis intelligat, omnino erravit, ſicut ex præcedentibus patet. *Ab Ægyp-*

Ægyptiis circumciſio etiam *tranſmiſſa eſt ad Colchos* gentem Scythicam, teſtibus Herodoto lib. II. cap. 36. pag. 125. Diodoro Siculo. lib. I. pag. 50. Origine lib. V. contra Celſum; *& ad ipſos Æthiopas*; ut docet Herodotus ſupra citato loco, Cunæus lib. III. de Republica Judæorum. Imo etiam *ad Nomades & Troglodytas*: teſte Diodoro Siculo lib. III. pag. 165. *Ab Æthiopibus cruentum* hoc *ſacramentum per totam Africam fuiſſe disſperſum* autumo, cum hodierno etiam die *incolæ regni Lovango* in inferiore Æthiopia, & *Promontorii Viridis*, ſive *Capo Verde*, *Guineæ*, *regni Ulkumæ* in regione Negritarum, *inſulæ Sancti Laurentii*, ſive Madagaſcar, aliique *Africæ populi liberos ſuos*, quidam quinto & ſexto, quidam decimo vel undecimo, quidam primo ætatis anno circumcidant, cujus rei Ethnici illi nullam aliam rationem reddere queunt, quam quod Deus hoc juſſerit, & conſuetudo ſit a majoribus accepta & per multorum ſeculorum curſum religioſe obſervata; vide Itinerar. Houtmanni pag. 17. Dapperum in deſcriptione Africæ, mul-

tis

tis in locis. Imo *incolæ regni Vlkuma* in regione vulgo Negroſland vocata ad morem Ægyptiorum *puellas* etiam, cum decimum ætatis annum attigerint, miro modo *circumcidunt*. Nam bacillum, cui formicæ ſunt affixæ, in ipſarum verenda protrudunt, ut ita caro ab inſectis illis depaſcatur, teſte eodem Dappero. *Circumciſionis ſignum* & ritum etiam *habuerunt* & obſervarunt *Idumæi* genus ab Eſau ducentes juxta Theodoretum in IX. cap. Jerem. *Iſmaelitæ* Ceturæ Progenies: ut ſcribit Hieronymus ad idem caput. *Saraceni*: Sozomenus Hiſtor. Eccleſ. lib. VI. cap. 38. *Arabes*: Joſephus Antiquitat. lib. I. cap. 13. Origines ad cap. II. Romanor. Unde etiam hodierni Mahumetani ſive *Turcæ* ab his Iſmaelitis & Arabibus oriundi circumciſionem ſummopere colunt, ſicut unicuique fere notum eſt. *Indi etiam præputia amputando ſanguinem ſuum Diabolo libarunt*, ſicut ſcribit Clemens Alexandrinus lib. I. Recognit. *aliique populi*; Idem lib. VIII. Et ipſe *Pythagoras* ab Ægyptiis forte edoctus: Theodoretus ſerm. I. de curandis Græcorum affectibus.

bus. Et quod magis miraberis ipſi *Americani*, ſcilicet *incolæ S. Mariæ inſulæ*, atque *Iucatan recutiti* ſunt: P. Martyr deſcript: Novi Orbis decade IV. p. 300. cap. 5. & c. 1. p. 290. Philo autem Judæus ſex rationes producit in libro de circumciſione quare Gentiles ſe ipſos ita truncaverint, ad quem lectorem brevitatis cauſa remitto. Et quod dolendum eſt, *Chriſtiani* quidam venerando Baptiſmi Sacramento non acquieſcentes *circumciſionem* etiam *amplexi ſunt*. Nam de *Marcione* Herætico, ejuſque diſcipulis ita canit Tertullianus contra Marcionem lib. I.

Et circumcidi docuit (Marcion).

Tertullianus contra Marcionem lib. II.

Abſque hoc & Galatas vetuit diſcedere ſanctos
Quos falſi fratres ſe circumcidere ſuaſos
Atque elementa ſequi nova libertate relicta.

De iiſdem eadem ſcribunt Epiphanius contra Hæreſes tom. III. lib. I. cap. 42. p. 144. Irenæus plurimis in locis, aliique. Et hæc *de ultimo fine Victimarum Humanarum* ſufficiant.

FINIS.

PARTIS PRIMÆ.

INDEX
Rerum & Verborum.
PARS PRIMA.
A.

Αβαδδῶν unde dictus, 15.
Abraham quot annos habuerit cum Iſaacum filium Deo immolaret, *pag.* 36. ejus ſacrificium per accidens cauſa vict. humanarum, 35. 43. quare Deus ipſi injunxerit immolationem filii, 39. 40. ſuaſu Diaboli, *pag.* 37. variæ ejus ſacrificii fabulæ, *pag.* 38. 39.
Accipiter Soli ſacer fuit, 72. occidere eum capitale, 11.
Adramelech eſt Saturnus, qualis, 64.
in Ædium publicarum ædificatione victimæ immolatæ, 244.
Ἁγνὰ ſacrificia prima incruenta, 21.
Ad ægrorum ſterilitatem abigendam victimæ humanæ immolatæ, 210.
Ægypti & Syri à porcorum eſu abſtinebant, *pag.* 146. quales Deos habuerint, 4.
Æſculapius humanis victimis cultus, 150.
Alfblot quale ſacrificium, 151.
Alitta Venus, 137.
Allia & papavera loco capitum humanorum, 32
Amarmunes reges Saraceni dicti, & unde, *pag.* 91.
Amatoria pocula quomodo conficiantur, 195.

ad id homines immolati, 314. per ea homines necati, 318.
ad Amorem abigendum homines mactati, *p.* 195.
Amaſis immolationes hominum ſuſtulit, 53.
ἀγάλματα ſacrificia incruenta, 21.
Anamelech idem quod Jupiter, 107.
Anguilla maximus Deus, 7.
Animalia omnis generis ab Ægyptiis divino honore afficiebantur, 4. occidere apud Ægyptios capitale erat, 11. quæ offerebantur in holocauſtum ligata erant, 38.
Annona profliganda victimis humanis, 52.
Annuli Semothracii, 327.
Annulo Diabolum inclusum nonnulli habuerunt, 329.
Apis rex primus Ægyptios religionem docuit ejus varia nomina, 11. præcipuis Ægyptiorum Deus, & quid, 8.
Apollo barbatus colebatur, 121.
Arimanius Perſarum Mars eſt, 91.
Aranea colitur, 7.
Asbyſta Deus, 93.
Aſcaniæ principes unde, 95.
Aſima 2 Reg. 17: 30. quale idolum, 92.
Aſinha principis nomen, 95.
Aſſen à marte dictum, 90. Drentiæ pagus, *pag.* 95.
Aſſiratum potio ex ſanguine & vino, 92.
Aſſyr etymologia, 92.
Aſtarte Venus quæ & à quibus culta, 143.

Augu-

Augurandi ritus per flagellationem, 346.
ad Auguria captanda homines toti immolabantur, 338. infantes mactati, 339.

B.

Baal ſive Bel à Sidoniis colebatur, 65. 66. idem quod Jupiter, 107.
per Baalem alii Saturnum, 66. alii Solem, 68. alii Herculem intelligunt, 69. quatuor fuerunt juxta S. Scripturam, 69.
Baalſebub, Dominus Muſcarum, 70.
Bacchus humanis victimus cultus, 149.
Balſarum unde dictum, 65.
Baldadiâh, 66.
de Bauch, 66.
Balticum mare quare ita dicitur, 66.
Belus Moloch Saturnus idem ſunt, 44.
in Bellum cum proficſcerentur victimæ humanæ devotæ & immolatæ, 243.
Belta Venus quæ fuerit, 135.
Blodſachs Flebotonum, 97.
Bos Soli conſecrabatur, 78. Cerere ſive Iſidi ſecer erat, 88.
Brachtam lapis ubi Abram cum Hagar concubuit Iſaacum ſacrificaturus, 42.

C.

Cacabus idem quod Cynocephalus, 6.
Cadavera & eorum partes magi ad magiam adhibebant, 310.
Cæpe Ægypt. colitur, 8.

in Calamitatibus deformoſiſſimi mactati, 223
Canina veſci Pœni prohibebautur, 51.
Capita hominum immolatorum uſurpabant ad hariolationem & divinationem exercendam.
Cappæ Martini uſus apud Chriſtianos ſuperſtitioſus in bellis, 241.
Captivi immolati, 172. 276.
Cereri ſacer erat bos, 88.
Chaldæi & Sabæi homines immolabant, 41.
Chiiun qualis, 70.
Choda dicitur Sol, 102.
Chriſtus Gigas dictus, 79.
Chriſtiani non edebant ſanguinem, nec morticinam, 369. nec idolis oblata, 370.
Columba Soli ſive Apollini erat conſecrata, 132. Veneri in delitiis & honore fuit, p. 134.
ad Comitialem Morbum abigendum homines mactati, 199.
in Conjuratione homines immolabant, 289.
Contribules immolati, 172.
Cornua propriè Lunæ attribuuntur, 122.
Crepitus ventris divino honore afficiebatur, 8.
Criniti quinam populi, 261.
Cuba quid & unde, 94.
Curtius Diaboli inſtinctu ſe Romæ devovit, *pag.* 28.
Cynocephalus quale monſtrum, 5.
Cyrus etiam Sol vocatur, 79.

Dagon

D.

Dagon ſub quali figura cultus, 140.
Dani à Dan dicti, 102.
Decii Diaboli inſtructu ſe hoſtibus devoverunt, 28.
Deformes immolati, 171. in calamitatibus, pag. 223.
Dei & Deæ quinam placati victimis, p. 182. quibus immolatæ victimæ, 63.
Diabolus quare ab Indis cornutus colatur, 125. ferro fugatur, 191.
Diabolo mactatæ mulieres, juvenes, pag. 167. viri, ingenui, Nobiles, 168. vegeti & ſani, 169. ſanguinem ſuum per circumciſionem libabant olim varii populi, 379.
Diabolum annulo incluſum nonnulli habuerunt, 329.
Diana fuit ipſa Venus, 119. humanis victimis culta, 146.
Dierum nomina, 71.
Dinghſdagh Friſiis Thijſdey olim Hiſesdagh, pag. 99.
S. Dionyſi vexilli uſus apud Chriſtianos ſuperſtitioſus in bellis, 243.
ad Divinationem & hariolationem exercendam uſurpabant hominum immolatorum capita, pag. 320.
Divinationum variæ ſpecies & ritus, 347.

E.

Ἐθελοθρησκεία illicita, 2.

Equus Soli ſacer erat, 72. 120.
in Exercitus luſtratione homines immolabant, pag. 288.
in Expeditione victimæ immolatæ, 260.
Exteri immolati, 172.

F.

ad Famen abigendam victimæ humanæ immolatæ, 210.
Ferro Diabolus fugatur, 191.
Filios & filias olim immolarunt, 156. 157.
per Flagellationem augurandi ritus, 346.
cum Fœdus percuterent immolabant victimas, 286. homines, 290.
Fœdera & amicitias inierunt ſanguinis ex corpore eliciti potu, 295.
Felis Ægyptiorum Deus, 8.
Formoſi in victimis adhibiti, 170.
Fraterculorum ſecta, 364.
Fro Satrapa Deorum, 59.
Frydagh unde dictus, 111. 119.
Furiæ humanis victimis cultæ, 150.
Furtum origo victimarum humanarum, 26.

G.

Gallus Cereri ſive Iſidi ſacer erat, 88. Sol ſacer erat, 72.
Germani quales Deos coluerint, 154. eorum origo, 105.
Ghode & Cham, 102.
Gigas etiam Sol appellatur, 78.
Gnoſtici qui ſint, 360.

Gratitu-

Gratitudo in Reges & Magiſtratus mortuos, 15.
Gwoden pernities eſt ſive Diabolus, inde derivatur Godt, 102.

H.

Hammon Jupiter quomodo cultus, 87.
Hariolatio quod ſit & quotuplex, 320. ad eam exercendam uſurpabant hominum immolatorum capita, 320.
Herba virens prima oblatio ſacr. 21.
Hercules ſub nomine Solis cultus, 69. 71. 73.
Heroës Patrii humanis victimis culti, 150.
Heſus qui Mars fuit humanis beſtiis honoratus, 98. inde Heſſia ſ. Haſſia, 95.
Holocauſtum quid, 23.
Homines toti immolati, per transfoſſionem, 343. ſubmerſionem, 344. & ignem, 346. ad auguria captanda, 338.
Hoſpites immolati, à Tyrannis & quare, pag. 47. 52. 60.
Hoſtia ab hoſta dicta quid, & ejus differentiæ, 23.
Cum hoſtibus quando confligerent victimæ humanæ immolatæ, 265.

J.

Jazdan quod ſignificet, 98.
Ibis avis colitur, 7. eam occidere capitale fuit, pag. 11.
Idololatria quando & à quo inceperit, 12. 13. 19. ejus pragreſſus, 20.
Idolis oblata non edebant Chriſtiani, 370.
Idolothyta ſunt ſacrif. cruenta, 22,

De Jephtæ filia, 272.
Ignis religioſe cultus, 80. æternus, 81.
Imaginum origo, 13.
per Imagines in ſpeculis vel in aqua reddit as veteres divinabant, 348.
Immolatio hominum Romanis crimen puniendum. 61. quomodo à Syris, pervenerit ad reliquas gentes, 48. &c. Darius has tollere conatur, 51. Octavius Auguſtus, 57. Adrianus Imperat. 62. Theodoſius, 85. adhuc fit in Africa, 51. quædam civitatis Scyticæ ab ea liberæ, 56.
Immolandi ritum ex Aſia in Septentrionem Othinus traduxit, 100.
Infantes olim immolarunt, 158. mactati ad auguria captanda, 339.
Ingenui Diabolo mactati, 168.
ad Inundationes cohibendas homines mactati, *pag.* 226.
Jonæ hiſtoria, 236. per qualem ſortem in mare conjectus, 28.
Jovi humana victima immolata, 105.
Iphigenia immolata, 33.
Ipſullices quid ſint, 196.
Iſaacus in monte Moria immolandus erat, 38. Diabolos diſſuadentes lapidibus impetit, *ibid.* triginta quinque annos natus, 36.
Iſraëlitæ Deo ſe obſtringebant litatione ſanguinis in circumciſione, 376. eorum operoſus cultus, unde, 3.
Itali inveaum primitias Diis offerebant, 34.
Junoni

Junoni antiquitus homo fuit mactatus, 120.149.
Jupiter Hammon quomodo cultus, 87.
Juvenes Diabolo mactati, 167.

K.

Kuype vox Belgica unde deſcendat, 94.

L.

Labyrinthus quid ſit, 219.
ad Lepram abigendam homines mactati, 197.
Lovedagh, 67.
Lucifer idem quod Venus, 139.
Luna Deus androgynus & generis commun. 114.
Lunæ humana hoſtia cæſa, 88. dies, 89. proprie cornua attribuuntur, 122.
in Luſtratione exercitus homines immolabant, *pag.* 281.

M.

Maendagh unde dictus, 89.
Magi punctis & inciſionibus in cute notati, 299. veſcebantur ſanguine humano, 304. humanas victimas Diabulo immolarunt, 305. per quas magiam exercebant, 306. ad magiam adhibecant cadavera, 310. & partes cadaverum, 311.
Magiæ ſpecies, 319.
Maniæ Deæ pro familiarum ſoſpitate pueri ut hoſtiæ cædebantur, 32.
in Mari cum periclarentur victimæ humanæ immolatæ, 236.
Marini Dii humanis victimis culti, 149.

Mars

Mars ἄρθης vocatur, 91. πυρόεις, 90. ἐρ-
γῶσι, *ibid.* Hermis & Aris, 91. iddem qui
Molochi, 91. dicitur etiam As, 92. Eſt
Deus antiquiſſimus Germanorum, Gemeri
filius, 93. 95. victimis humanis cultus & à
quibus, 89.

Martini cappæ uſus apud Chriſtianos ſuperſtitio-
ſus in bellis, 241.

Materia hujus libelli, 25.

Mene erat idolum mercatorum, 89.

Mercurius Woden vocatus, & humano ſangui-
ne cultus, 100. 101. Teutates dictus, 103.
Hermaphroditus, 115.

Meretrix Belgis quare *een Motte* dicta, 127.
de Myt of de Motte unde dictum, 77.

Milites Romani punctis & inciſionibus incute
notati, 299.

Minerva humanis victimis culta, 149.

Miramoumoim eſt Mars, 92.

Mithra à Perſis Hercules dicitur, 74. proprie
ignis dicitur, & Sarapis, qui etiam Sol fuit,
victimis humanis placati, 83. pro ipſa Ve-
nere habetur, 122.

Mithriaca ſacra, 84.

Moloch Belus, Saturnus idem ſunt, 44. quo-
modo ab aliis vocatus, 63. quam Saturnus
dicitur, 64. 65.

Morbos ut propulſarent humanæ victimæ immo-
latæ, 193.

Morticinam non edebant Chriſtiani, 369.

Mulieres Diabolo mactatæ, 167. Diaboli mi-
niſtræ, 34.

Muſca

Muſca Deus penui præfuit, & quare ita dictus, pag. 70.
Μῦδρος quid, 77.

N.

Nautæ Deis Marinis & Neptuno immolati, 240.
Neptuno hominem immolarunt, 149.
Nobiles Diabulo mactati, 168.
Nocentes immolati, 172.
Nomina regum appellativa à prædeceſſoribus ſumta, 14.

O.

in Obſidione victimæ humanæ immolatæ, 268.
Odinus & Vodanus qualis Deus, 99. 102. immolandi ritum ex Aſia in Septentrionem traduxit, 100.
Ooden Diabolus eſt vel pernities, 102. Oden eigedig Diabolus poſſideat te, ibid.
Oraculorum auctor quis, 27. effecta, ib. & ſeqq.
Oromazin ſignificatio, 97.
Oſterſachs ſicca Paſcalis, 97.
Othinius eſt Mars, 99. 100.

P.

Pacem inierunt ſanguinis ex corpore eliciti potu, 295.
Pan fuit ipſe Apollo, & caprina facie exſculpebatur, 130.
Panathænea quale ſacrum, 127.
Pauperes immolati, 172.
Pavori humana victima mactata, 150.

Pedis tumorem apud Syros piſcium eſus gignit, *pag.* 142.
Penates Dii humanis victimis culti, 150.
ad Peſtem expellendam homines mactati, 200.
Phœnices & Tyrii Saturno ptimo infantes immolarunt, 46. 47.
Piaculum pro cædis culpa, 224. & piare quid, *pag.* 226.
Piſces nominibus convocati, 142. ab iis abſtinent Syri, 140. eorum eſus apud Syros tumorem pedis gignit, 142.
Pluto quis, 44. humanis victimis cultus, 150.
Pœni idem quod Baal, 65.
Pœni canina veſci prohibebantur, 51.
Polyxene Priami filia formoſiſſima immolatur, *pag.* 33.
Pocula amatoria quomodo conficiantur, 195. ad id homines immolati, 314. per ea homines necati, 318.
à Porcorum eſu Syri & Ægyptii abſtinebant, *pag.* 145.
Porrum Ægypt. colunt, 8.
Potus ſanguineus, 57.
ante Prælium, 164. & in ipſo Prælio victimæ humanæ immolatæ, 265.
Primitias juvenum Itali Diis offerebant, 34.
Pueros & puellas olim immolarunt, *pag.* 159. quem in finem immolarunt, 357. Hæretici, 362. ſcelus hoc antiquis Chriſtianis impactum ab Ethnicis, 365. cauſa calumniæ hujus, 366. eorum immolatorum humana viſcera

viſcera adhibita ad hariolationes, & extis piſcinam, 333.
Punctis & inciſionibus in cute notali Romani milites, magi, 299. alii populi, 303.
Pyrræa, & Prytanæa quid, 81.

R.

venus Rempham, 138.
Rimmoon & Remmoon, 64.

S.

Sabæi & Chaldæi homines immolabant, 41.
Sacrificium quid, 22. prima fuerunt inter gentes incruenta, p. 21. quaſi ſacium factum, pag. 21.
Sacrificia Iſraëlitarum quænam, & quare iis à Deo injuncta, 3.
Salſamenta quando Diis ſacra, 22.
Samothraſii annuli, 327.
Sanguinem humanum libare, 45. &c: edebant Magi, 304. non edebant Chriſtiani, 369. libabat Simon. Magus, 374. ſuum per circumciſiònem Diabolo libabant olim Varii populi, 370. ejus ex corpore eliciti potu conſpirarunt 291. inierunt fœdera & pacem, 295.
Sani Diabolo mactati, 169.
Sarug idololatriæ, & mortuorum cultus, ductor, 13. 14.
Saturnus quis in ſacris literis, 43. 44. 63. quomodo depictus à Septentrionalibus, 67. ejus fabula, 44. ipſi primo infantes immolàrunt, 43.

Saturdus à Saetur dictus, 67.
Saxæ ſignificaret pugiones & cultros, 96.
Saxonum origo, 95. 96.
Scarſalis novacula, 97.
Scelerati immolati, 171.
Schauwen unde dictum, 80.
Schorſteen unde deſcendat, 80.
per Scyphop Ægyptii divinabant, 353.
Semen humanum libabat Simon Magus, 374.
Semi-homo canis, ſemicanis, ſacer, 5.
Serapis & Mithra, qui etiam ſol fuit victimis humanis placati, 83. 85. maximus Ægypt. Deus, 11.
Servi & Servæ immolati, 172.
Simon Magus ſanguinem & ſemen humanum libabat, 374.
Simulacrum Apis ſuſtulit Theophilus Epiſc. 12.
Sir à Ciiro ſol, 92.
Sol ſanguine maſculo ut Luna fœmin: placatus eſt, 68. etiam Gigas appellatur, 78. etiam Cyrus vocatur, 79. Choda dictus, 102.
Solitaurilia ſacra, 22.
Sonne unde dictum, 71.
Sors divinatio apud Germanos, 355.
Specularii quales ſint Magi, 354.
Strava quid ſit, 280.
Su-aquam ſignat, inde ſee, ſunt, ſunivloet, ſweeten, ſuffen, 94.
Sudarii Veronicæ uſus apud Chriſtianos ſuperſtitioſus in bellis, 241.
Sus Veneri ſacra, 146.

Syer

Syer corpuſcuelum ſolare eſt, 80.
Syria quas Provincias ſub ſe habuerit apud antiquos, 48.
à Syris quomodo immolatio hominum pervenerit ad reliquas gentes, 48. 49.
Syri abſtinent à piſcibus, 140. & Ægyptii abſtinent à porcorum eſu, 146.

T.

Taranus & Thor idem quod Jupiter, 108.
Taurus Soli & Lunæ ſacer, 123.
Teleſmata: ejus vocis ſignificatio. & uſus, 325. origo & modus componendi, 326. ejus miræ virtutes, 327.
Teraphim quid fuerit, 323.
Teutates Mercurius dictus, 103. placatur humana victima, 104.
Τεὤτυῖα idem quod idolothita, 22.
Τεὸς vox Græca eſt generis communis, 118.
Thammur quid ſignificet, 87.
Thus quare & quando in ſacrificiis, 23.
Tyrii & Phœnices Saturno primo infantes immolarunt, 43. 46.

V.

Vates inſtrumenta Diaboli in victimis humanis, 33-45.
in Ventis adverſis victimæ humanæ immolatæ, 231.
Veneris varia nomina, ut: Venus Alitta, 137. Venus Aſtartæ, 143. Venus barbatus, 115.

Venus Belta, 135. Venus Dagon, 139. Venus Hermaphroditus, 112. Venus Luna, 114. Venus Rempham, 138.
Veneris figura qualis, 117. ei hoſtiæ humanæ ſacrificatæ, 109.
Veronicæ ſudarii uſus apud Chriſtianos ſuperſtitioſus in bellis, 241.
Vexilli S. Dionyſii uſus apud Chriſtianos ſuperſtitioſus in bellis, 243.
Victima quid, 22. à victoria &c. 23. unde mundæ & immundæ, 4.
Victimarum humanarum origo à quo & quando, 25. ab Hercule abrogatæ à Numa reſtitutæ, 32. finis, ut placarent Deos, 177. eas Diabolo immolarunt Magi, 305. illæ immolatæ ut propulſarent morbos, 193.
poſt Victoriam partem, & poſt bellum victimæ humanæ immolatæ, 272.
Viſcera humana immolatorum captivorum & puerorum adhibita ad hariolationes & extiſpicinam, 331.
Viri Diabolo mactati, 168.
ex Virgis præciſis vaticinabantur, 355.
Virginitas Diabolo offertur apud Indos, & ejus nota quænam, 164.
Virgines olim immolarunt, 161.
Vitulus Aäronis fuit Apis, 9.
Vodanus & Odinus qualis Deus, 99.
Vodda mercurius eſt, & Arabum Deus varii formis pictus, 103.
Urania eſt generis maſculini, 116. eſt ipſa Venus, 117.

Vyer vocabulum Belgicum unde deſcendat, 80.

W.

Wodan Mars, 99.
Woden Mercurius vocatus & humano ſanguine cultus, 101.
Wonſdach olim wodensdai à Mercurio quomodo nomen ſortitur, 101.

Z.

Zomi Deus Americanorum, ejus origo, 152.
Zoroaſter primus idolatriæ fundator apud Perſas, 18.

FINIS.

INEEX AUTHORUM
Qui in hoc Tractatu aut emendantur aut illuſtrantur.

A.

ÆMilius Mace prag. 7.
p. Æmilius. 284.
Agathius. 137.
Althamerus. 104.
Ambroſius. 79.
Ammianus Marcellinus. 261.
Anaxandrides Rhodius. 7.
Apollonius Rhodius 188.
Apulejus. 117, 132. 133.
Aretæus. 199.

B.

Biblia ſacra. 81, 87, 89, 90, 91, 92, 110, 112, 115, 137, 224, 323, 324, 325, 346, 351, 353, 375
Bajorum lex. 145.
Billius. 336.

C.

Callimachus. 55.
Jul. Capitolinus. 194.
Caſaubonus. 350.
Catullus. 166.
Cicero. 104, 305, 335.
Concilia quædam. 355.
Coronus. 112.
Curtius. 87, 122, 131.
Cyrillus. 45.

D.

Damaſcenus. 171.
Damaſus. 79.
Paul. Diaconus. 103.
Dion. 254.
Ditmarus. 71.

E.

Ennius. 187.
Euripides. 252.
Euſebius. 132.

F.

Feſtus. 92, 298.
Julius Fermicus. 74. 90.
Val. Flaccus. 302, 309.
Florus. 340.

Venant.

Venant. Fortunatus. 79.
Fulgentius. 121.

G.

Getulius. 179.
Gregorius Turonenſis. 372.

H.

Halicarnaſſeus. 256. 322.
Heliodorus. 88.
Herodianus. 116.
Herodotus. 290, 380, 381.
Hyginus. 270:

J.

Jornandes. 280.
Joſephus. 192.
Jus Canonicum. 192.
Jus Civile. 318.
Juvenalis. 335.

L.

Lactantius. 354.
Laertius. 91.
Latinus Pacatius. 225.
Lex Boiorum. 145.
Libanius. 220.
Lipſius. 102.
Livius. 255, 310, 342.
Lucanus. 98, 103, 108. 309, 311, 312, 313. 316, 240.
Lucianus. 47, 117, 124. 127.
Lycophron. 232.

M.

Macrobius. 84, 111, 144.
Martialis. 278.
Martianus Capella. 85, 124.
Maximus. 79.
Menaa Gracorum. 126.

N.

P. Nannius. 111.
Nazianzenus. 70, 336.
Niceta Choniata. 72.
Nonnius. 93, 121, 133. 275.

O.

Jul. Obſequens. 189.
Orpheus Argonaut. 53.
V. Oſopæus. 7.
Otfridus. 145.

Ovidius

Ovidius. 124.

P.

Parthenius. 163.
Pauſanias. 179, 223.
Perſius. 378.
Philoſtratus. 112, 128, 192, 334.
Plato. 105.
Plinius. 192, 313.
Plutarchus. 91, 118, 129, 256, 293.
Procopius. 345.
Prodromus. 170.
Propertius. 221.
Prudentius. 55, 57, 300.

R.

Roſinus. 104.

S.

Saxo. 181.
Salmaſius. 90, 115.
C. Schotanus. 287.
Seldenus. 138.
Seneca. 177.
Silius. 294.
Sozomenus.
Spartianus. 116, 350.
Statius. 122, 294.
Stobaus. 129.
Strabo. 58, 114.

T.

Tertullianus. 45, 150, 306, 343.
Theodoretus. 144, 321.
Theodorus. 371.
Theologus Vetus. 354.
Tzetzes. 290.

V.

Rich. Veſtergang. 99.
Virgilius. 161.
Voetius. 18, 198.
Voſſius. 100.

W.

Winſemius. 206.

Z.

Zonaras. 339.

F I N I S.

A01147557 1